

Acti Concilio  
Sacerdotum  
de Antiquitate  
misticis  
lona



Nf. 96.





PROGRAMMA

FESTO NATA-  
TIVITATIS DO-  
MINI NOSTRI IESV  
CHRISTI

IN ACADEMIA IVLIA

ANNO clō lō c xliiii

P. P.

QVO CONTROVERSIA

num Christus secundum carnem sit filius Dei  
naturalis vel adoptivus

EXCVTIVR,

ET ROMANVS PONTIFEX HADRI-  
ANVS PRIMVS MALE DEFI-  
NIISSE CONVINCIVR.



HELMESTADĪ,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT  
HENNINGVS MULLERVS. 1. 946. 2. 20.



PROGRAMMA

FESTIVITAS  
D. N. I.

MINI NOSTRI IESU  
CHRISTI

IN ACADEMIA PAVLINA

ANNO CL. IS. C. XLIII

P. P.

OVO CONTRAVERSIA

quæ Christus secundum carnem de filius Dei  
naturæ vel adoptivæ

EXCUTIUR

ET ROMANUS PONTIFEX HADRI-  
ANUS PRIMUS MALE DEFI-  
NISSE CONVICIUR



Helmstadt

IN TYPOGRAPHICO CALVARIAE EXCEN-  
DITUR M. L. S. S.







PRORECTOR ACADEMIÆ  
IULIÆ.

GEORGIUS CALIXTVS  
SANCTÆ THEOLOGIAE D.  
ET PROFESSOR PRIMARIVS  
*CIVIBVS ACADEMICIS*  
S. D.



Voties magistratu functi sacro hoc tempore ex hoc loco vos sumus alloquuti, toties aliquid ex historiâ certaminum de summo illo Christianæ fidei mysterio, quod hisce diebus considerari solet, in ecclesiâ exortorum, delibavimus. Exposuimus igitur antehac hæresin tum Nestorianam, tum Eutychianam, quomodo videlicet utraque enata, & tum illi tum isti sese catholici & orthodoxi doctores opposuerint. A consuetudine eâ nostrâ ne nunc quidem recedemus, acturi tamen de controversiâ minoris momenti, sed nonnullas ob causas expendi dignâ.

Vergente ad finem seculo Christiano octavo, quum Carolus, cui ingentia facta & pares successus gloriosum Magni cognomen peperere, rerum in occidente, titulo tamen adhuc Francorum & Longobardorum regis, patritiiq; Romanorum, potiretur, cœpit Felix, Vrgelitanus in Ilergetibus juxta Pyrenæos montes episcopus, doce-

A

re &



re & inculcare, Christum Dominum secundum humanitatem suam filium esse Dei Patris adoptivum. Loquutio hæc, tamquam nova & insolens, multos turbavit. Et quum anno regni Carolini XXI I I, qui cum Christiano DCCXCI componitur, Paulinus Aquilejensis metropolitanus in provinciâ suâ Foro que Iulio synodum haberet, in Felicem, suppresso tamen ejus nomine, acriter invecus fuit. *Contradicimus, inquit, per omnia Patripassianis, qui divinitatem ejus passibilem ausi sunt elinguare. Similiter & illis non credimus, qui in duos videntur filios unum Christum Dei Filium dividere, dum illum naturalem & adoptivum affirmare moliantur, quum unus idemq; sit Dei hominisq; filius.* Et post aliqua in explicatione symboli, quam ab omnibus suis clericis memoriter vult teneri & recitari: *Non alter hominis filius, & alter Dei: sed unus idemq; Dei hominisq; filius, in utraq; naturâ, divinâ scilicet & humanâ, Deus verus & homo verus. Non putativus, sed proprius, quia numquam fuit propter hominem, quem assumpsit, à Patre alienus. --- Ideo in utraq; naturâ propriam eum & non adoptivum Dei filium confitemur, quia inconfusibiliter & inseparabiliter, assumpto homine, unus idemq; est Dei & hominis filius. Naturaliter Patri secundum divinitatem, naturaliter matri secundum humanitatem. Proprius tamen Patri in utroq;: quoniam, sicut dictum est, non sunt duo filij, alter Dei & alter hominis, sed unus Christus Iesus propter unam personam, Dei & hominis filius, Deus verus & homo verus.*

Disputatio hæc tum temporis enata, & inter partes acriter agitata, digna est quæ exactiùs consideretur. Docebit enim nos, quæstiones de fidei mysteriis non necessarias facilè moveri, sed non facilè sopiri; aliquando ab utraque parte infeliciter tractari, & quæ sine dispendio salutis ignorari poterant, frustra quandoque & magno



magno cum scandalo & caritatis detrimento, acerbâ magis quàm circumspectâ litigantium contentione sive inquiri sive definiri.

Crediderant hætenus Christiani, unigenitum Dei Filium hominem esse factum, eundemque qui ab æterno è Patre fuerat genitus Deus, in tempore è Virgine matre natum esse hominem, ut unus idemque sit secundum divinitatem Dei filius, secundum humanitatem hominis filius. Neque dubitari poterat, secundum humanitatem Dei quoque filium suo quodam modo esse & dici posse, quum etiam filij Dei sint & vocentur angeli beati & homines renati. Num verò quatenus homo, sive secundum humanitatem rectius appelletur adoptivus quàm naturalis, hætenus non fuerant solliciti. Neque Deus dubij hujus enodationem à quoquam requisivit, aut ab eâ salutem hominum pendere voluit.

Adoptionis sanè vocabulum, ut alia multa, à rebus & consuetudine humanâ translatum fuit ad divina: in qualibus spectari solet non perfecta & exacta similitudo sive paritas, sed sufficit aliqua convenientia vel analogia. Et quum adoptio apud alias quoque gentes in usu fuerit, Romani certis eam legibus adstrinxerunt. Hinc Theophilo est *νομίμη προξίς μιμημένη τῷ φύσιν τοῦ πατρὸς* <sup>Institutus,</sup>  
*καὶ ἀποδοχίαν ὁ πνευματικὴν: actus legitimus, natura amulus, (imitatur enim, quantum potest, naturalem generationem) in solatium liberorum, deficientium videlicet, inductus.* Alij definiunt actum legitimum, per quem extraneus in alienam familiam jusque filij familiâs suscipitur sive transfertur. Sicut autem in aliis, ita quoque hîc, quando adoptionem divinis applicamus, quæ imperfectionis sunt, remove oportet, & tantum ad ea, quæ perfectionem involvunt, attendere. Non igitur ado-





ptat Deus, quòd ipse egeat solatio liberorum, sed ut egentes alios suorum bonorum heredes (qui proprius est adoptionis effectus) participesque faciat. Nec alias observat in adoptando leges, quam suam ipsius voluntatem, & quas ipse liberrimè statuit. Inter homines quidem hereditatem non adit adoptatus, nisi post mortem adoptantis: at hìc, qui in æternum vivit, filios quos adoptavit, sui ipsius suorumque bonorum participatione beat; nec ei propterea quidquam decedit. Plerumque etiam in eos, qui ab hominibus adoptantur, nihil aliàs juris aut potestatis obtinent qui adoptant, sed per adoptionem demum consequuntur: at nemo est sive homo sive angelus, qui, eo ipso quòd creatura est, divinæ creatoris potestati non sit subditus. Id autem commune est omni adoptioni, & ut sic loquar, intrinsecum, quòd ex benevolentia & gratia suum facit, qui alioquin eatenus erat extraneus, ei que jus in participatione bonorum & capessendâ hereditate, quod illi ex se non competebar, tribuit.

Prisci ecclesiæ doctores ad hasce considerationes sese non demiserunt, neque, sicut monuimus, quomodo ista humanitati Christi, vel Christo quatenus homini aptari possint, examinarunt. Irenæus quidem juxta latinum interpretem in hunc modum loquitur: *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei.* At græca, quæ Theodoretus nobis conservavit, ita habent: *Εἰς τὸν λόγον ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος χωρησας τὸν λόγον, ἢ τὴν ὑπόθεσιν λαβὼν ὑὸς γένηται Θεῶν. Ideo Verbum factum est homo, ut homo capax factus Verbi & adoptionem consequutus fiat filius Dei.* Sequitur apud latinum Irenæi interpretem: *Non enim poteramus aliter incorruptelam*  
*& im-*

Lib. 3. c. 21.

Dial. 1.



& immortalitatem accipere, nisi aduniti fuisset incorrupte-  
le & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus  
incorruptela & immortalitati, nisi prius incorruptela & im-  
mortalitas facta fuisset id quod & nos, ut absorberetur quod e-  
rat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immor-  
talitate; ut filiorum adoptionem perciperemus? Ex his arbi-  
tror manifestum esse, Irenæum de nostrâ adoptione lo-  
qui, non de ipsius Christi.

Hilarius libro 11 de Trinitate: *Parit virgo; partus à* ante finem  
*Deo est: infans vagit; laudantes angeli audiuntur: panni in cu-*  
*nis sordent; Deus à Magis adoratur. Ita potestatis dignitas non*  
*amittitur, dum carnis humilitas adoptatur. Sed hic adoptari*  
*accipi potest pro eo, quod est adscisci, adsumi. Hoc enim*  
*sensu humanitatem adoptatam, id est, in hypostaticum*  
*confortium divinitatis adsumtam esse nemo negaverit.*  
Expressius autem *πύχρον* Hilario Marius Victorinus post init.  
primo librorum, quos adversus Arium *more dialectico* (ut  
judicat Hieronymus, nescio an verè) *valde obscuros* (&  
hoc quidem verissimè) scripsit: *Christus non sic filius, quem-* L. de feri-  
*admodum nos. Nos enim adoptione filij, ille naturâ. Etiam qua-* ptor, c. 101,  
*dam adoptione filius & Christus, sed secundum carnem.*

Mirum autem non est, veteres non nullos, quando  
adversus Arium & Arianos disputant, Christum Dei Fi-  
lium adoptivum negare. Negant videlicet eo sensu,  
quo affirmabant Ariani, nempe simpliciter adoptivum  
esse, ut ne quidem secundum naturam, quâ ante incar-  
nationem præditus fuit, naturalis sit. Porrò hoc etiam  
certum est, Christum non ita esse filium adoptivum se-  
cundum humanitatem, ut alius ab ipso sit filius natura-  
lis secundum divinitatem: id enim manifestè Nestoria-  
num foret: nec ita, ut prius duratione & tempore fuerit  
filius, atque adeo aliquando non-filius, antequam ado-





ptaretur. Sufficit in solo signo rationis, quod vocant  
scholastici, priorem esse humanitatem quam eius ado-  
ptionem: quum etiam inter homines, praesertim si leges  
positivas non attendamus, nihil impediat nondum na-  
tum aut conceptum adoptari. Si itaque naturalem filium  
dicas, qui ex quo naturam sortitus est, sive ab ipso ortu &  
origine sua filius fuit, ita sane Christum etiam secundum  
humanitatem filium naturalem dicere oportebit. Eodem  
autem modo angeli & primi homines cum gratia creati  
naturales filij fuerint. Minimè verò omnium ita est ado-  
ptione filius, ut aliquando filius iræ fuerit, quemadmo-  
dum quod nos attinet, res se habet. Ad hunc sensum  
respicens Magister sententiarum, *Adoptivus*, inquit, *filius*  
*non est*, hac videlicet ratione, *quia prius fuit, & postmodum*  
*adoptatus est in filium, sicut nos dicimur adoptivi filij, quia quum*  
*nati fuerimus filij iræ, per gratiam facti sumus filij Dei. Christus*  
*verò numquam fuit non-filius Dei: & ideo non est adoptivus fi-*  
*lius.* Sic etiam primus Scholasticorum sive interpretum  
Magistri Alexander Alensis: qui quaestionem his verbis  
expedit & concludit: *Adoptio ponit differentem statum hu-*  
*manæ naturæ, unum in quo sit non filius, quod non est invenire in*  
*Christo, secundum quod homo. Item adoptio ponit bene esse post*  
*malè esse, quod nullo modo convenit Christo, secundum quod ho-*  
*mo.* Non absudit discipulus eius Bonaventura, qui do-  
cet non filium dici posse vel *negativè*, vel *privativè* sive  
*contrariè*, quod sit filius iræ; & quum neutrum cadat in Chri-  
stum quatenus hominem, ideo filium adoptivum dici  
non posse.

Parte 3, qu.  
20, mem-  
bro 4.

3 dist 10,  
art. 2, qu. 1.

Sed nos ad historiam revertamur. Nihil quidem  
scriptorum Felicis exstat, nisi quod ex eius libello sive  
epistolâ Paulinus Aquileiensis in septem, quos adver-  
sus eum scripsit libris, nonnulla profert. *Scripsi*, inquit,  
*episto-*



epistolam pridem Felici episcopo, caritatis calamo, non contentio-  
nis studio. Sed idem mox libellum non epistolari brevitare suc-  
cinctum, sed sermonum serie prolixum nobis dirigere studuit. Ex  
eo sive libello sive epistolâ hæc adducit Paulinus: In hoc  
illum adoptivum credimus apud Patrem, in quo secundum car-  
nem filius est David, non tamen in hoc, quod Dominus existit.  
Rursus: Certè idem Redemptor noster in formâ humanitatis fi-  
lius David est, & filius Dei. Quod utrumq; verum est. Quod ta-  
men non absurdè querendum est, quomodo in eum utrumque con-  
veniat. Neq; enim fieri potest, ut unus filius naturaliter duos pa-  
tres habere possit: unum tamen per naturam, alium autem per  
adoptionem prorsus potest. Alio loco: Dei Filius, dominus &  
redemptor noster juxta humanitatem sicut in naturâ, ita & in no-  
mine, quamvis excellentius cunctis electis, verissimè tamen cum  
illis communicat, -- ut idem, qui essentialiter cum Patre & Spi-  
ritu sancto in unitate deitatis verus est Deus, ipse in formâ hu-  
manitatis cum electis suis per adoptionis gratiam deificatus fie-  
ret, & nuncupativè Deus. Rursus alio: Dicis tu Felix, eundem  
esse filium Dei, qui est & filius hominis, & filium hominis, qui est  
filius Dei, ut ex tuis verbis cognosci poterit. Qui illum, inquit, sibi  
ex utero matris, scilicet ab ipso conceptu, in singularitate sua per-  
sona ita univit atq; conseruit, ut Dei filius esset hominis filius,  
non mutabilitate naturæ, sed dignatione: similiter & hominis  
filius esset Dei filius non veritabilitate substantiæ, sed in Dei filio  
esset verus filius. Et mox: Ex Deo Deus, & homo ex homine in  
singularitate personæ unus atq; idem Christus Dei: sicut qui-  
cumq; homo ex animâ de nihilo creatâ & carne ex utroq; parente  
formatâ unus est utrisq; parentibus, patris sui videlicet & ma-  
tris filius. Hæc Felicis verba ab ipso ejus adversario Pau-  
lino producta hominem à suspitione & crimine Ariani-  
smi & Nestorianismi absolvunt.

Nihilominus in eum invehitur Paulinus hujusmo-  
di ver-

Lib. 1, in-  
tio.

Lib. 1. ante  
finem.

Lib. 3, ini-  
tio.

Lib. 4, ini-  
tio.

Lib. 5, ini-  
tio.



Lib. 3. ante  
finem.

Lib. 4. sub  
finem.

Lib. 7. post  
medium.

Gal. 4. 4.

di sermone: Per forte videri potuisset impietas tua cum Iudeis, nisi quod in hoc majus est crimen tuum, quod illi eum negabant Deum esse, in quo adhuc passio ostendebat hominem: tu eum denegas Deum, quem jam resurrectio probavit Deum. Ac per hoc illi eum persequerentur in terra, tu eum persequeris in caelo, nolens illum Deum predicare regnantem in caelo, cujus ministerio fungeris in ecclesia. Et alio loco: Cesset Felix Christum in duos filios vel in duos deos dividere, ne Nestoriana fiat infidelitatis particeps: quia quod Nestorius in numero personarum, hoc Felix in numero filiorum facere videtur. Et alias ei haeresin Nestorij impingit, ut quum scribit: Nestorius licet duas palam non dixisset personas, tamen omnia, quae duabus inesse necesse est personis, in sua professione fatetur: simili modo & tu, licet fugias verba duarum personarum, tamen omnia, quae necesse est duabus inesse personis, te tuis literis invenimus profiteri. Quis enim nesciat apud unum patrem alteram esse personam adoptivi filij, alteram proprii? Haec tamen consequentia est invalida. Si enim unus duabus praeditus sit perfectis distinctisque naturis, nihil impedit, quin secundum unam sit naturalis, & secundum alteram adoptivus filius: quemadmodum itidem juxta unam ab aeterno ex Deo est genitus, juxta alteram in tempore ex muliere factus; juxta unam creator, juxta alteram creatura.

Cæterum negari non potest, Felicem aliquando incommodè loqui, & si sententia verbis respondeat, malè quoque sentire. Paulinus quidem sub initium librorum, quos diximus, Non sufficebat, inquit, sibi Felici, tantummodo Christum, qui de virgine natus est, negare proprium esse filium Dei, sed etiam hunc eundem non consentit verum esse Deum, sed novo & inaudito sanctae Dei ecclesiae nomine nuncupativum Deum nominare illum non timet, dividens Christum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum; & in  
duos



*duos Deos, unum verum Deum, alterum nuncupativum Deum.*  
Equidem hoc testimonio, utpote hostili, non admodum  
moveor. Magis movent ipsa Felicis verba, à Paulino pro-  
ducta. Paullò antè audivimus eum dicere, quòd *qui essen-*  
*tialiter cum Patre & Spiritu sancto in unitate deitatis verus*  
*est Deus, ipse in formà humanitatis per adoptionis gratiam dei-*  
*ficatus fuerit, & sit nuncupativè Deus.* Alibi eum introducit  
italoquentem: *Deus est Christus secundum divinitatem, &*  
*Dei filius verus: secundum humanitatem autem Deus est nuncu-*  
*pativus, & adoptivus filius.* Quin videtur *νομωβίαν* idiωμα τωv  
evertere. Hæc enim verba, tamquam ipsius, proferun-  
tur: *Si, ut vos mei adversarij vultis, homo adsumtus à Filio*  
*Dei, mox à conceptione virginalis uteri verus conceptus est*  
*Deus, verus & natus Deus, quomodo &c.* Item: *Quà aucto-*  
*ritate idem homo dominicus ex utero matris verus Deus con-*  
*ceptus, & verus Deus natus à vobis predicatur, quum sit natu-*  
*rà verus homo, & per omnia subditus Deo?* Iterum: *Si secun-*  
*dum vestram professionem Deus verus esset homo ille susceptus à*  
*Verbo, nequaquam tantus Apostolus Petrus auderet dicere,*  
*Deus erat cum illo; sed potius, Deus erat ipse.*

Lib. 7. post  
medium.

Lib. 4. post  
medium.

Lib. 5. post  
initium.

Act. 10, 38.

Erat eâ ætate promiscuus usus vocabulorum, quæ  
concreta & abstracta vocamus, ut altera pro alteris sæpe  
usurparentur, sicut tum ex aliis, tum ex hoc Paulino  
promptum est cognoscere. Quod ipsum disputationem  
istam magis, quàm absq; eo fuisset, difficilem & intrica-  
tam reddidit. Quum itaq; negat hominem adsumtum  
esse verum Deum, id puto eum velle, quod quatenus  
homo, sive secundum humanitatem non sit verus Deus.  
Alioquin enim secum ipse pugnaret. Quod autem di-  
cit, *esse nuncupativum Deum*, vix video, quomodo possit ex-  
cusari. Nam si *Homo* capiatur pro personâ, quæ est ho-  
mo; tum hic homo Christus non nuncupativus, sed ve-

B

rus





rus est Deus: & nuncupativum Deum dicere, idem ferè fuerit, quod enunciationem hanc *Homo est Deus*, realem negare, verbalem adferere, quod patrum memoriâ perperam nonnulli fecerunt. Si verò *Homo* sit idem, quod *secundum humanitatem*, pariter falsum erit, certè durum plurimisq; incommodis obnoxium, Christum hoc sensu Deum nuncupativum appellare.

Lib. 5. post  
medium.

Tribuit Felici Paulinus hæc quoq; verba: *Nusquam in evangelio Dei filius pro nobis, sed tantum filius hominis traditus legitur.* Quæ equidem multò minùs excusare, vel cum aliis ejusdem conciliare possum. Nam ex epistolâ ejus hæc etiam recitat Paulinus: *Sicut ea, quæ de Christo celsa atq; gloriosa sunt, credimus & collaudamus; ita humilitatem ejus & omnia indigna, quæ propter nos misericorditer suscipere voluit, despiciere nullo modo debemus.* Et subjungit: *Dicis itaq; tu Felix, illum, qui nos creavit, quum non essemus, hæc indigna omnia pati pro nobis. Scimus quis ille, qui nos creavit; nempe proprius Filius Dei. Quomodo potest utrumq; esse verum, ut ille, qui condidit, hæc indigna passus esset pro nobis, si ille qui creavit, est proprius Dei filius, & ille, qui passus est, adoptivus sit?* Facile respondere possit Felix, sicut unus idemq; & nos creavit, & pro nobis est passus; ita quoq; eundem secundum naturam, quâ creator est, proprium esse Dei filium, secundum alteram adsumtam, in quâ passus, adoptivum.

Lib. 3. ante  
finem.

Lib. 1. ante  
finem.  
Lib. 6. in  
fine.

Quin Paulinus ea interdum profert, quæ ut ab Eutychianismo liberentur, admodum benigno egebunt interpretate. Verbi gratiâ: *Ego aliud Christum quàm Deum esse non novi. --- Et quum utiq; quidquid est Christus, Deus sit, inveniri in Deo aliud non potest, quàm Deus.* Item: *Quomodo in duabus naturis, divinitatis scilicet & humanitatis, proprius potuit esse filius hominis, & non potuit totus in duabus naturis proprius*



pr̄ius esse filius Dei? Ergone in divinitatis naturā proprius  
filius hominis? Denique: *Tuum esset credere, quod adsumpta  
humanitas totum accipiens quod Dei est, aliud quā Deus esse  
non possit.*

Lib. 7. in-  
tio.

Majore sanè vehementiā & acerbitate tractata fuit  
hæc controversia, quā facundiā vel eruditione. Neq;  
in tot libris Paulini quidquam ferè magis arridet, quā  
duo loca, quæ subijcio. Sub finem libri sexti monet omnē  
homini melius esse laudare bonitatem Dei, quā discutere poten-  
tiam ejus: humiliter obedire præceptis illius, quā pertinaciter  
scrutari mysteria illius; & amabiliter venerari illum, quā præ-  
sumtuosè ratiocinari de illo. Et sub finem libri septimi: *Suffi-  
ciat tibi credere, Christum filium Dei verum esse Deum, & ve-  
rum filium Dei: & de sacramento ejusdem incarnationis Dei no-  
stri plus investigare ne labores, quā quod in Evangelio legisti,  
& in Apostolorum dogmatibus scriptum invenisti.*

Matt. 12, 18.

Ies. 42, 1.

Adde 52, 13.

53, 11.

Mirum tamen, Paulinum non contentum iis, quæ  
in Evangelio legerat, verba Iesaiæ, *Ecce servus meus, quem  
elegi*, Servatori disertè applicante; Felicem, quod Chri-  
stum secundum humanitatem Dei servum adsereret,  
tantopere exagitare. Non quidem lege vel pacto vel  
culpâ servus erat, sed liber & ingenuus: non tamen ab illâ  
erga Deum sive subjectione sive servitute, cui omnis  
creatura, quatenus creatura, est obnoxia, ut nec ab o-  
bedientiā in obeundo, quod Deus injunxerit, officio  
vel opere, exemptus. Qualis subiectio & obedientia di-  
gnitatem aut libertatem non imminuit. Deo enim ser-  
vire, est regnare. Non pugnat itaque regem aut princi-  
pem esse, & Dei tamen servum esse. Hinc Deus ipse a-  
pud lezechielem prophetam, quum Christum promitte-  
ret, dixit: *Excitabo eis pastorem unum, qui pascat eas oves  
disperfas, servum meum Davidem: ipse pascet eas, & ipse erit*

Cap. 34, 23.

B 2

eis





Lib. 4 post  
medium.

*eis pastor. Ego verò DOMINVS ero eis Deus, & servus meus David princeps in medio eorum.* Felix, ait Paulinus, *conditionalem servum sepius solet affirmare*; id est, conditionis sive creationis intuitu. Et iterum: *Tria affirmat in Christo, quòd servus sit conditionalis; quòd filius adoptivus, & Deus nuncupativus.* E quibus ultimum à veritate & commodà acceptance remotissimum. *Tria quoq; inquit, è contrario negat, quòd verus Deus nasceretur ex Virgine; vel idem, qui natus est, verus sit Dei filius; & quòd nullatenus fieri possit, ut baptismi regeneratione non egeat, qui servus sit natus.* Quæ omnia tria falsò Felici impingi nullus ambigo. Paulinus de servitute illâ contra Felicem disputans eò usq; prolabitur, ut Adamum quoq; servituti conditionali, id est, à creatione ortum trahenti, obnoxium fuisse inficietur. Verba ejus adscribo, è quibus, quàm feliciter disputet, patebit. *Quòd ais conditionalem esse servum, quæ catholica aures hanc tantam blasphemiam patienter sufferunt, ut Christus Dei filius vili conditione & durâ necessitate servus sit Dei Patris? Quid ergo dicis de Adam? Virumnam liberâ dignitate vel servili conditione creatus sit? Si conditionalis servus formatus est, quomodo est imago Dei? vel ubi liberum illius arbitrium fuit? aut quid peccando perdidit? Si verò liber, quomodo non multò magis Christum, in quo divinitas omnis corporaliter habitabat, liberâ dignitate, non conditionali servitio ex regia nobilitatis virgine natum esse credendum est?*

Felix autem, ut in historiâ pergamus, ter damnatus fuit, si Reginoni Prumiensi credimus. Primam damnationem synodo Forojulienfi imputamus. Secunda Ratisbonæ facta, præsentem Carolo, ut ex eodem Reginone colligitur, & disertè adserunt Annales Francorum sub Ludovico Pio scripti, quos testes laudat Baronius, synodum hanc Ratisbonensem collocans in Anno 10 cxcii.

Verba



Verba annalium hæc sunt: Felix ductus ad palatium Regis, (nam ea pars Hispaniæ ad Pyrenæum Galliæ vicina Carolo tum parebat) qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem, in quâ & hiemaverat, residebat. Vbi congregato episcoporum concilio auditus est, & errasse convictus ad præsentiam Hadriani pontificis Romam missus: ubi etiam coram ipso in basilicâ sancti Petri apostoli heresin confessus est atq; abdicavit. Quo factò ad civitatem suam reversus est. Regino in hunc modum: Anno 1000 c x c i i Feliciana heresis condemnata est: quem Felicem Engelbertus in præsentia Hadriani pontificis adduxit: & post confessionem heresin abdicavit. Eadem ferè Sigisbertus Gemblacensis in anno 1000 c x c i i. At Ado Viennensis: Ad præsentiam Hadriani pontificis Romani ductus, heresin verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra supradictam heresin in Francofurt, legatis apostolicæ sedis presidentibus, Theophylacto & Stephano episcopis, & autoritate sanctorum patrum convictus & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuoq; exilio apud Lugdunum relegatus est: quem ferunt in eodem ipso suo errore mortuum.

Tertiùm itaque Francofurti damnatus Felix, cui sui non defuerunt ad stipulatores & ad seclæ, quos etiam agnoscit & memorat, nominibus tamen nullis expressis, Paulinus. Inter eos præcipuus Elipandus Toletanus, de quo Annales paullò antè producti: Felix ab Elipando Toletani episcopo per literas consultus, quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sentire deberet, utrum secundùm id, quod homo est, proprius an adoptivus filius credendus esset ac dicendus; valde incautè atq; inconsideratè, & contra antiquam ecclesiæ catholicæ doctrinam adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum episcopum libris perzinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus causâ ductus ad palatium Regis, & quæ sequuntur, jam



antè superiùs adducta. Ionas Aurelianensis acerbissimè  
in utrumque invehitur initio librorum, quos scripsit im-  
perante Ludovico Pio de imaginibus adversus Clau-  
dium Taurinensem, quem ab ineunte ætate Elipando  
magistro usum fuisse, etiamsi hanc ejus opinionem non  
tueatur, affirmat. *Emersit, ait, ex Hispaniâ tēpore sanctæ memo-  
ria Caroli pijsimi atq; invictissimi Augusti quidam Felix nomine,  
actu infelix, Vrgelitanensis civitatis episcopus, qui juncto suo  
scelerato errori Elipando Toletanae urbis episcopo, secundum hu-  
manitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum prædi-  
care ausus est. Et hac virulentâ doctrinâ uterq; Hispaniam ma-  
gnâ ex parte infecit.* Addit, se Elipandi discipulos apud  
Astures vidisse, & certissimos antichristos esse liquidò depre-  
hendisse. Germaniæ autem & Galliæ episcopos illam ve-  
sanam doctrinam propulsasse. *Ejusdem namq; Principis, ait,  
Caroli videlicet, jussu in unum coacti, adhibitâ etiam sanctæ  
Romane ecclesie auctoritate, Felicem damnaverunt, imò cum  
auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathe-  
mati mancipaverunt.*

Lib. I. ante  
medium.

Contra Elipandum duos libros satis prolixos, ta-  
met si non ubiq; grammaticos, ut loquitur qui eos edidit Pe-  
trus Stevartius, scripserunt Beatus presbyter & Etheri-  
us Vxamensis episcopus; fortè priùs quàm suos scribere-  
ret Paulinus: cujus hæc sunt verba: *Quòd quemdam Bea-  
tum abbatem, & discipulum ejus Etherium episcopum dicitis  
huic vestrae sectæ primum contraire, laudamus eos in eo, quòd ve-  
ritatem defendere conati sunt.* Scripserat Elipandus, mense  
Octobri, Anno æræ Hispanicæ 10 cccxxiii, qui est  
Christianus 10 ccxxcv, ad Fidelem abbatem quem-  
dam epistolam, quâ suæ sententiæ Beatum & Etherium  
obniti vehementer stomachatur. Effert se dignitate se-  
dis suæ, suæque & suorum operâ *Migetianorum hæresin,*  
qui



qui circa festa Paschaliū & nescio quæ alia erraverant, sublatam esse gloriatur. *Obsecro*, ait, *ut calore fidei accensi tantâ sitis intentione præcalidi, ut errorem prædictum de medio vestri auferatis: ut sicut per servos suos Dominus de finibus Bati-cæ eradicavit heresin Migetianorum, ita de finibus Asturien-sium funditus evellat heresin Beatianam.* In hanc epistolam, quum proximo Novembri ad Fidelem abbatem aliâ de causâ venissent, se incidisse scribunt Etherius & Beatus: & *, audivimus*, ajunt, *ipsum libellum adversum nos & fidem nostram cunctâ Asturiâ publicè divulgatum.* Inseruerunt eum libro suo primo: sed editio quæ exstat hiulca est, & alicubi difficilis intelligi. Certum tamen est Elipandum nimio fervore æstuarè, & caritatis ac moderationis limites tran-silire. *Adversæ opinionis homines servos, discipulos & præcursores Antichristi vocat. Qui non fuerit, ait, confessus Iesum Christum adoptivum humanitate, & nequaquam ado-ptivum divinitate, hereticus est, & exterminetur. Auferte malum de terrâ vestrâ.*

Huic sive libello sive epistolæ duos illos libros, quos Petrum Stevartium edidisse diximus, Etherius & Beatus opposuerunt. Et priori non modò hanc episto-lam, sed proximè ante eam, tum symbolum Nicænum, quod ipsi Ephesinum vocant, tum symbolum fidei Eli-pandinæ, quasi contrarium, inseruerunt. Notandum tamen, symbolum hoc, ut ibi habetur, ab ipso Elipando non profectum, sed è verbis ejus hinc inde dispersis ab Etherio & Beato confarcinatum. *Ipsa verba fidei suæ, ajunt, nobis incognita in unum copulavimus; &, quò faci-lius agnoscerentur, more symboli brevi compendio in paginâ compegimus.* In illo autem qualicumq; symbolo ad rem potissimum faciunt, quæ subijcimus. *Non per illum, quæ natus est de Virgine, visibilia & invisibilia condidit, sed per il-lum,*



lum, qui non est adoptione, sed genere sive generatione, neq;  
gratia sed natura filius. Et per istum, Dei simul & hominis fili-  
um, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divini-  
tate, mundum redemit. Diximus antea, ejus ævi hominibus  
in more fuisse, pro abstractis concreta usurpare. Quod i-  
taq; dicitur, Non per illum, qui natus est de Virgine, visibilia  
condidit; hunc habet sensum: Non secundum naturam, juxta  
quam natus est ex Virgine, visibilia & invisibilia condidit; sed  
secundum illam, juxta quam est filius non adoptione vel gratiâ,  
sed generatione & natura. Quo sensu posito, reliqua quæ  
Matt. 16, 16 sequuntur à Nestorianismo hominem liberant.

Lucæ, 1, 31. Quin ipsi alibi sententiam Elipandi ita proponunt,  
ut à Nestorianâ diversam fuisse satis appareat. Sub ini-  
tium libri primi quum laudassent Petri de Christo fidem  
& confessionem, revelatam non à carne & sanguine, sed à  
Patre cœlesti, subijciunt & quasi opponunt doctrinam  
Elipandi, dicentes, Cui caro & sanguis revelavit, dicat, Tu es  
adoptivus humanitate, & filius Dei vivi secundum divinita-  
tem. Similiter proferunt verba Gabrielis ad beatissimam  
Luc. 31. Virginem Ἰσοτόκον: Vocabis nomen ejus Iesum: hic erit magnus,  
& Filius Altissimi vocabitur. Potuerat, ajunt, dicere tunc, si  
verum esset quod vos dicitis: Vocetur Iesus adoptivus filius Al-  
tissimi humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate.  
Quo usque autem progressum fuerit certamen, hisce  
verbis indicium faciunt: Certè jam rumor est, jam fama  
est, & non solum per Asturiam, sed per totam Hispaniam, &  
usq; ad Franciam divulgatum est, quòd due quæstiones in Astu-  
riensi ecclesiâ ortæ sunt. Et sicut due quæstiones, ita duo populi,  
& due ecclesiæ: una pars cum alterâ pro uno Christo conten-  
dunt. Cujus fides vera an falsa sit, grandis contentio est: & hoc  
non in minutâ plebe, sed inter episcopos. Vna pars episcopo-  
rum dicit, quòd Iesus Christus adoptivus est humanitate, & ne-  
qua-



quaquam adoptivus divinitate. Altera pars dicit: Ex utraq;  
naturâ unus est Dei Patris filius proprius, non adoptivus: in  
tantum proprius, ut ipse sit Dei filius, Deus verus, & ipse adore-  
tur & colatur, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Hac pars nos  
sumus, id est, Etherius & Beatus cum ceteris ita credentibus.  
—Ecce utraq; fides patet: sed nos pro hac fide, quam vindicamus,  
non solum exulare, sed etiam mori parati sumus. Quin dein-  
ceps disertè agnoscunt, quòd Elipandus *V NVM* Christum  
& secundum divinitatem proprium, & secundum humanitatem  
adoptivum confiteatur. Nihilominus magnam partem pri-  
mæ epistolæ sancti Iohannis describunt, ut ostendant,  
mendacem & antichristum esse, qui neget Iesum esse 1. Ioh. 2, 22.  
Christum; & qui soluat Iesum, spiritum antichristi esse.  
Deinde de Elipando subiiciunt: *Videte spiritum, qui solvit* Lib. 2. lon-  
gè ante  
mcd.  
*Iesum.* Pessimis igitur quibusque hæreticis Elipandum fo-  
ciant, nec verentur alicubi scribere: *Elipandus Toletana se-  
dis episcopus, nescio quâ commixtionis vertigine, tres personas  
in unâ naturâ deitatis confundit; & Christum de virgine na-  
tum non Deum, sed tantum hominem credit.*

Adiunctio iudicium Gabrielis Vazquaz de hisce libris: In 3. disp.  
30. cap. 103  
*Beatum & Etherium non possum non admirari, quòd tam calami  
roso tempore, quo dirâ Maurorum tyrannide Hispania nostra op-  
primebatur, rem usq; adeo obscuram suo ingenij acumine & eru-  
ditione illustraverint. Quod si ille in his libris videre va-  
luit, fateor me deprehendere non potuisse. Hæreticos,  
lupos, antichristos crepant, invalidas consequentias  
nectunt, in philosophiam subinde invehuntur, & lon-  
gissimis digressionibus ad quævis obvia dilapsi quidvis  
potiùs tractant, quàm quæstionem ipsam controversam.  
Laudo tamen, quæ post initium primi libri lego, & hîc  
adjungo. Fides vera, quæ ab Apostolis tradita, in brevi est.  
Sine philosophiâ seculi est, simplex est, & omnibus rusticis*

C

mani-





Multum  
ante  
medium.

manifesta, & omnibus captivis & peregrinis cognita: & ut  
plenius dicamus, omni Ecclesia, quæ per universum terrarum or-  
bem est diffusa, publicè constituta est. Et unusquisque qualiter cre-  
dat, brevi symbolo complexa est. Et qualiter orat, & ipsa brevis  
oratio Dominica est. --- Qualiter vivere debeamus, sufficit no-  
bis illud proverbium, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.  
--- Credit rectè rusticus, quia symbolum semper recitat. Orat re-  
ctè, quia semper orationem Dominicam recitat, & dicit, Pater  
noster quies in cælis. Et verè filius Dei est, sicut sibi non vult  
fieri, alteri ne fecerit. Adijcio etiam ex libro secundo ista:  
In hoc errore sive imbecillitate judicij quæ potest esse certa sen-  
tentia? Proinde quia non est certa sententia, debet esse caritas  
una. Sed ea ipsa caritas non poterit esse certa, si fides fuerit in-  
certa. Admitto, si agatur de fide, quæ fundamentum  
salutis. Sin agatur de quæstionibus juxtà emergentibus  
& annatis, sicut ipsæ possunt esse innumeræ, & aliæ  
post alias excitari, ita pleræque non modò sunt solutio-  
nis difficilis, sed etiam incertæ, & ad fidem, quæ caritati  
mutuæ Christianæ necessariò substernitur, reapse non  
pertinent.

Tractat Vazquez loco, vnde superiùs verba ejus de-  
promsimus, quæstionem, Num Christus secundum humanita-  
tem sit Dei servus. Etherius fanè & Beatus hætenus ser-  
vum Patris esse agnoscunt; libro videlicet primo paullò  
post initium ejus. Et paullò post medium libri secundi:  
Propter hoc ille factus est Patris servus, ut nos de multis domi-  
nis liberaret, id est, de multis idolis; & ipsum solum haberemus  
dominum, qui propter nos factus est servus; & essemus liberi per  
ipsum, qui solus inter mortuos est liber, & nos ad hanc ingenui-  
tatem perduxit. Et sine dubio summa ingenuitas creditur, in  
quo Christi servitus comprobatur. Hæc talia sunt, ut in iis li-  
ceat adquiescere.

Nescio



Nescio autem quid Severino Binio Notas ad con-  
cilium Francofurtense adijcanti in mentem venerit,  
quum scripsit: *Elipandus Tolerana ecclesia archiepiscopus do-*  
*cebat, Christum purè servum esse, quales sunt qui servitute pæ-*  
*nali ex peccato contractâ Deo subijciuntur. Addebat errorem*  
*multò gravio rem hunc; Christum ex servo factum esse Dei fili-*  
*um per adoptionem: atq; ita illum à filio Dei naturali non tan-*  
*tum naturâ, sed etiam supposito distinguebat. Rectius profe-*  
*ctò Vazquez: Elipandus non fuit tam hebes ingenij, nec tam*  
*impudens & blasphemus in Christum, ut doceret, ex peccato con-*  
*ditionem servitutis vilissimam sub potestate diaboli contraxis-*  
*se: id quod nullus hæctenus hæreticus excogitavit. Quis au-*  
*tem audeat Elipandum inter impudentissimos hæreticos com-*  
*memorare, quum errores illius majus præ se ferant specimen pro-*  
*babilitatis, quàm ulli umquam habuerunt? Idem alibi agno-*  
*scit controversiam cum Elipando tam de adoptione: quàm de ser-*  
*vitute, difficiliorem esse, quàm ulla alia in ecclesiâ Dei exsiste-*  
*rit. Qualis difficultas à mutuis execrationibus deterre-*  
*re, & ad animi moderationem, οὐ γινώσκω, remq; in medio*  
*relinquendam invitare debuisset. Nam si hæctenus per*  
*octingentos fere annos quæstionis hujus decisione Ec-*  
*clesia Dei carere potuit, nec eâ in posterum ad æternam*  
*salutem obtinendam, quæ sola per doctrinam & mini-*  
*sterium ecclesiasticum quæritur, indigebit. Quin diffi-*  
*cultas illa facit, ut qui ejusmodi quæstiones versant, &*  
*errorem, quem putant, evertere laborant, ipsi interdum*  
*hallucinentur, & in alterum extremum impingant. E-*  
*therius & Beatus sub finem libri sui primi in hunc mo-*  
*dum loquuntur: Vna persona & unus agnus non poterit ex*  
*parte esse proprius filius, & ex parte adoptivus, id est, ex par-*  
*te filius, & ex parte non filius; & ex parte Deus, & ex parte*  
*non Deus. Si ex parte & ex parte significat alteram & alte-*  
*ram*

In. 3, disp.  
80, cap. 4.

Cap. 10



ram naturam, uti significare oportet, tum ex eorum sententia Christus non fuerit secundum alteram naturam Deus, secundum alteram non-deus sive homo, sed Deus secundum utramque. Quod ipsum quid aliud est, quam Eutychianismus? Petrus Stevartius editor librorum Eutherij & Beati, ad posterioris, finem quo tamen is mutilatus est, lectorem hoc pacto alloquitur. *Circa tempora Alexandri tertij P. M. id est, Imperatoris Friderici Barbarossæ, seculo Christiano XII, vixit in Franconiâ quidam Folmarus, Petra stillantis seu Trieffensteinij Præpositus, qui præter cæteros errores, quibus infectus erat, in hunc etiam Elipandi, vel Nestorij, de personâ & adoptione Christi incidit: quem quum in Bavariâ disseminare tentaret, occurrerunt duo ex Bavariâ monachi non indocti; alter Gerohus seu Gerochus, monasterij Reichenspergensis Præpositus; alter ejusdem monasterij Decanus: quorum iste proprium & vastum volumen adversus Folmarum conscripsit; ille in opere, quod de investigatione Antichristi indigitavit, Folmarum quoque, refellere haut omisit. Vtrumque opus exstat in Boicis Bibliothecis: utrumque lucem mereretur, nisi dum scriptores isti ab uno extremo, hoc est, ab Elipandismo seu Nestorianismo, quàm longissimè recedere cupiunt, propius ad alterum extremum, nempe ad Eutychianismum accessissent.*

Anno 794.  
num. 7.

Anno 636.  
num. 9.

Solenne est plerisque, tum Felicem tum Elipandum Nestorianismi postulare. Quod facit etiam Baronius; & olim Theodiscum Hispalensem episcopum, Isidori successorem, eidem hæresi deditum fuisse, & tandem ad Muhammedanos transisse affirmat. Sed ipse de hoc Theodisco alibi ex Luca Tudensi: *Adserebat Dominum nostrum Iesum Christum cum Patre & Spiritu sancto non esse unum Deum, sed potius adoptivum.* Cum quâ adsertione quid commune Felici vel Elipando? Ista quoque Baronij

COR-



conjectura satis frigida: *Ex consuetudine cum Mahometanis* Anno. 794  
*didicisse ita humiliter sentire de Christo infelix Elipandus ex-* num. 5.  
*istimatur; inducens fortasse in animum, si hoc evincere potuisset,*  
*conjungeret simul Mahometanos & Christianos in unam fidem.*  
*Quasi verò si vel maximè cum Nestorio sensisset, propte-*  
*rea Trinitatis mysterium, quod à Nestorio non labefacta-*  
*tur, admissuri fuissent Muhammedani. Sed Verba tum*  
*Felicis tum Elipandis ab ipsi eorum adversariis ad nos*  
*transmissa, & à nobis superiùs recitata à divisione unius*  
*personæ in duas, & adsertione duorum filiorum alienos* In 3. disp.  
*fuisse evincunt. Non solum optimis conjecturis, ait Vazquez, 89. cap. 8.*  
*sed etiam evidenter nobis constat, numquam Elipandum cum*  
*Nestorio Christum in duos divisisse.*

Nunc ad considerandam Francofurtensem syno-  
dum convertamur. Quæ in annum 1000 c c x c i v. confer-  
tur. Epistolam Elipandi, quâ irritati Beatus & Ethe-  
rius, anno 1000 c c x x c v scriptam fuisse pridem diximus,  
ut proinde certamen hoc non paucorum fuerit annorû.  
Synodum autem Francofurtensem primus in lucem su-  
periore seculo protulit Laurentius Surius: nec de eâ a- Anno 1567  
liud quàm epistolam Hadriani pontificis Romani ad e-  
piscopos Gallicia & Hispaniarum; libellum, cui Sacrosyllabi  
nomen inditum, à Paulino Aquileiensi in synodo scri-  
ptum, & ad provincias Gallicia ac Spaniarû missum, specialiter  
autem ad Elipandum Tolerana sedis episcopum; item episto-  
lam nomine Sanctæ synodi & venerabilium in Christo Patrum,  
cum omnibus episcopis Germania, Gallia & Aquitania, & totius  
catholica pacis clero, Præsulibus Hispania & cæteris ibidè Chri-  
stianitatis nomen habentibus inscriptam; deniq; epistolam  
Caroli regis Elipando Toletana civitatis metropolitano, &  
cæteris in partibus Hispania consacerdotibus destinatam.

Hisce quatuor, quantum de concilio Francofur-





cano hodie superest, continetur. Equibus discimus E-  
lipandum aliosque Hispanos & Carolo & episcopis epi-  
stolas aut libellos misisse, & ut controversia examinaretur  
enixe petiisse: Carolum cum Hadriano communi-  
casse, synodum coegisse, in eâ auditorem & arbitrum se-  
disse, & tum Hadriani rescriptum, tum Synodi responsum  
unâ cum Sacrosyllabo Paulini suaque ipsius epistolâ re-  
misisse. *His partibus, ait, fidei vestrae literas dirigere curastis,*  
*nempe & generales ad sacerdotales sanctissimas aures, ad nos*  
*quoque, speciales. In quarum utique serie literarum non satis nobis e-*  
*lucebat, an quasi ex auctoritate magisterij vos vestra docere di-*  
*sposuissetis, an ex humilitatis discipulatu nostra discere desidera-*  
*tis: tamen sive hoc sive illud vestris inesset animis, petitionem*  
*vestram, caritate Christiana religionis cogente, non spernendam*  
*esse censuimus. Deinde: Fraternali cogente caritate iusti-*  
*mus sanctorum Patrum synodale ex omnibus undique nostra di-*  
*tionis ecclesiis congregari concilium, quatenus sancta omnium*  
*unanimitas firmiter decerneret quid credendum sit de adoptio-*  
*ne carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & sancta Dei*  
*universali Ecclesia antiquis temporibus inauditis vos ex vestris*  
*scriptis intulisse cognovimus. Imò & ad beatissimum Apostolica*  
*sedis pontificem de hac novâ inventione nostra devotionis ter*  
*quaterque direximus Missos, scire cupientes, quid sancta Roma-*  
*na ecclesia Apostolicis edocta traditionibus in hac respondere*  
*vpluisset inquisitione. Nec non & de Britannia partibus ali-*  
*quos ecclesiastica disciplina viros convocavimus, ut ex multo-*  
*rum diligenti consideratione veritas catholicae fidei investigare-*  
*tur, & probatissimis sanctorum Patrum hinc inde roborata testi-*  
*monijs absque ulla dubitatione teneatur. Idcirco vobis per singu-*  
*los, libellos dirigere curavimus, quid praedictorum Patrum pia u-*  
*nanimitas & pacifica perscrutatio auctoritate ecclesiasticâ in-*  
*veniret, statuisset, confirmaret. PRIMO quia domino Apostolicus*

CUM



cum sanctâ Romanâ ecclesiâ & episcopis in illis partibus quaqua  
versum commorantibus, & catholicis doct oribus sentiret, suba-  
nius libelli tenore statuimus. Deinde SECVNDO loco quid eccle-  
siastici doctores & sacerdotes ecclesiarum Christi de propinquo-  
ribus Italiae partibus cum Petro Mediolanensi archiepiscopo, &  
Paulino Forojulianensi vel Aquilejensi patriarcha, viris à Domi-  
no valdè venerabilibus, intelligi, vel firmiter credi voluissent, suis  
proprijs responsionibus exaratum posuimus libellum, Sacrosyl-  
labum scilicet, quia ipsi quoq; presentes nostro synodali con-  
ventui adfuerunt. Post hæc tenet & TERTIVS libellus ortho-  
dorum sanctorum Patrum, episcoporum & virorum venerabi-  
lium fidem, qui in Germania, Gallia, Aquitania, & Britannia par-  
tibus dignis Deo deserviunt officiis, vestrisq; objectionibus san-  
ctarum scripturarum testimonijs roboratas obtinet responsiones.  
Deinde QVARTO loco mea propria unanimatis cum his san-  
ctissimis prædictorum Patrum decretis & catholicis statutis con-  
sensum subnexui, sicut vosmet ipsi in vestrà epistolâ, quam meo  
specialiter designastis nomini, rogare curastis. Rursus: Ecce ego  
vestris petitionibus satis faciens, congregationi sacerdotum au-  
ditor & arbiter adsedi. -- Sed modo per eandem obsecrationem  
vos iterum atq; iterum obtestor, ut in pacificâ unanimitate &  
catholica fidei professione nobiscum firmiter maneatis, nec vos  
doctiores existimetis universali sanctâ Dei ecclesiâ. Eam fidem  
teneate, quam orthodoxi Patres in suis nobis symbolis scriptam re-  
liquerunt; & nolite plus sapere quàm oportet sapere, sed sape-  
re ad sobrietatem; nec ratiocinando humano ingenio divina vos  
mysteria investigare arbitremini, sed magis credendo honora-  
te, quæ humana fragilitas temere perscrutando invenire non  
valet. Hæc utrique, & non uni magis, quàm alteri parti  
dici oportet. Univerfalis autem tot præteritorum se-  
culorum ecclesia de hac quæstione numquam fuit solli-  
cita. Quæ, si priscis orthodoxorum Patrum symbolis  
in-



in hærendum, silentio prætereunda, ejusque mentio inter articulos fundamentales & ad salutem necessarios nulla fuerit habenda. Tandem concludit Carolus: *Post hanc correctionem sive admonitionem Apostolica auctoritatis & Synodalis unanimatis si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omnino vos pro hæreticis haberi, nec ullam communionem vobiscum pro Deo audemus habere.*

Hadrianum ejusque epistolam quod attinet, ille itidem errorem Elipandi, si tamen error, capitalem judicat, propter quem salute, caritate & communionem privandi, quicumque eum amplectantur. *Non enim, inquit in ipso statim initio, caritatis vinculo fraternam ansulam perstringente, nostris illigare amplexibus amoris connivemus nodo, qui non sunt fidei nostra communioni sinceris sensibus sociati, ac per hoc à gremio sanctæ matris ecclesiæ lacrymabili divisione exstant exsortes. Igitur dilectissimus filius noster, & spiritalis compater, dominus Carolus, --- saepe nos styli ferculo, catholice fidei epulas offerendo, multam refectionis dulcedine satiare consuevit, & confluente ad vallem mentis ex alijs quibusque rebus amaritudinis undam, mellitis quinimmo rivulis, lætitiæ de fonte manantibus, summam nihilo minus suavitate temperare non cessat. Sed quoniam ferventi succensus fidei zelo, ea quæ contraria orthodoxæ fidei Spaniarum de confinibus allata sibi persensit, nostris curavit summam pernecitate obtutibus presentari, beati Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, & sedis ejus præsulem dignum duxit sacris syllabis consulendum: regiam scilicet vel canonicam placuit ei consuetudinem renovare. Quumque perlectus & sagacius exploratus fuisset epistolæ textus, reperta sunt in eodem pseudosyllabo per quam plurima cum autore suo Elipando, Toletana sedis archiepiscopo redarguenda, ac per hoc redargutionis vindictam modis omnibus ulciscenda. Unde non mediocri dolore mens nostra sauciata, medium se in animum nostrum*



strum tristitia angor immersit. Quâ de re nimiositatis zelo com-  
pulsus, ex autoritate sedis Apostolica, pro causâ siquidem ortho-  
doxe fidei, equum ratumq; per sacros apices prospeximus responden-  
dum. Materia autem causalis perfidia inter cetera reijcienda,  
de adoptione Iesu Christi filij Dei secundum carnem. Ecce sta-  
tum controuersia ab ipso Pontifice positum, nempe An  
Christus sit filius Dei adoptivus secundum carnem. Hoc,  
ait, catholica ecclesia numquam credidit, numquam docuit,  
numquam male credentibus ad sensum praeiuit. Sed de hoc, ut  
paullò ante monuimus, sollicita non fuit, & proinde nec  
affirmare vniquam docuit, nec negare. Pergit: Multa  
quidem sparsim in sacris foliis diuinarum scripturarum testimonia  
super hoc negocio inserta reperiri possunt, — sufficiant pauca  
de multis. Inde incipit argumentum per negationem for-  
mare; Nusquam Christus in Scripturâ dicitur filius ado-  
ptivus secundum carnem: ergo ad eum modum adopti-  
vus dici neque potest, neque debet. Porro, Numquam,  
ait, communi affectu dixit nobiscum, Pater noster. — Cur  
non dixit Noster? Quia aliter noster, & aliter suus. Nec con-  
sequencia est valida, nec antecedens verum. Quasi non  
perinde sit dicere, Patrem meum & patrem vestrum, quem- Ioh. 30. 17.  
admodum Seruator dixit; ac si dixisset, Patrem nostrum?  
Vazquez quum expendisset testimonia Scriptura, quibus In. 3. disp.  
89. cap. 10.  
Hadrianus sententiam suam confirmat, tandem concludens,  
Inter ea, ait, nullum video adeo efficax, ut ex serem hanc de fi-  
de esse conuincat.

Nihilominus ille saeuit, & tumultuatur, imò calum-  
niatur. Adoptivum, inquit, eum filium, quasi purum hominem,  
calamitati humana subiectum, & (quod pudet dicere) seruum e-  
um impij & ingrati tantis beneficiis, liberatorem vestrum non  
pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini que-  
ruli obtrectatores, Deo odibiles, illum seruum nuncupare, qui vos

D

de





Iob. 1. 8.

Matt. 12. 18.

In 3. to. 1.  
disp. 44.  
§ 1.

de servitute diaboli liberavit? — Tales gratiarum actiones ei infelices refertis, ut qui vos honorificè liberos precio sanguinis fecit, cum vos iniuriosè adoptivum & servum caninis non confundamini linguis latrare? Nam etsi in umbrâ prophetia dictus est servus, propter servilis formæ conditionem, quam sumsit ex virgine, sicut scriptum est, Considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terrâ; hoc nos unâ cum B. Gregorio intelligimus & secundum historiam de sancto Iob, & allegoricè de Christo dictum. — Postquam autem cessavit umbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegoricâ sylvâ latebat, nusquam eum à Patre servum vocatum legimus. — Nullus unquam Evangelistarum, nemo Apostolorum servum eum commemorat. Videri possit non legisse Iesaiæ XLII, 1: Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: quæ allegorica non sunt, & de Christo apud Matthæum disertè accipiuntur. Neque verò hæc allegorica sunt: Ecce intelliget servus meus, exaltabitur & elevabitur, & sublimis erit valde. Item: In scientiâ suâ iustificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit, Ies. LII, 13: LIII, II. Quæ de Christo servatore propriè & juxta literam intelligenda esse nemo, nisi Iudæus, facilè negaverit. Franciscus itaque Suarez, quamvis Pontifici, utpote Iesuita, mancipatus, scribit tamen, quæ summam adijcio: In contrarium, contra sententiam Hadriani, est primò frequens Scripturarum loquutio, non solum in Veteri, sed etiam in Novo testamento. Et imprimis apud Iesaiam apertissima testimonia. — Secundò sunt innumera Patrum testimonia, quæ hanc partem de servitute Christi secundum carnem confirmant. — Tertio possumus ratione argumentari: quia relatio servitutis ad Deum vel non est alia à revelatione creature, vel certè cum illâ est necessariò coniuncta, quia Deus creando omnia est dominus omnium, & consequenter crea-  
tura



tura hoc ipso, quòd respicit Deum ut creatorem, respicit ut domi-  
num. Concludit itaque, seclusâ legali & pœnali servitute,  
quæ aliquo modo ex peccato originem ducit, — Christum ut ho-  
minem verè ac propriè esse servum Dei servitute illâ connaturalè  
humana natura, quæ non ad servilem conditionem, sed potius ad  
quamdam nobilitatem spectat, suppositâ imperfectione natura  
creata. Quòd autem videtur esse contra rationem servi, ut  
habeat ius ad bona domini, unde etiam secundum leges civiles hoc  
ipso, quòd servus adoptatur in filium, desinit esse servus; — re-  
sponderetur, hæc omnia rectè procedere de servitute legali, seu pœ-  
nali, quæ vilis est conditio, & excludit illud jus, & consortium  
in eodem genere bonorum: servitus autem nobilis & merè natu-  
ralis, quamvis per se non afferat hoc jus, nec dignitatem filij, non  
tamen excludit illam, neq; est impossibilis cum illâ. Et hæc  
de istâ sive quæstione sive controversiâ hîc sufficient.

Pergamus sævientem auscultare Hadrianum: Pau-  
lus electionis vas docet, ut omnis lingua confiteatur, quia Domi-  
nus Iesus Christus in gloriâ est Dei patris: cur surdâ aure, & erro-  
ris obvoluto tenebris corde, hunc locum Scripturæ legendo transi-  
litis? Paulus omnem linguam Dominum Iesum eum confiteri,  
hortatur & docet: & vestra lingua non confunditur servum eum  
& adoptivum latrare? Hæc namq; stultiloqua lingua in frustra  
est præcidenda, & per mille (ut ita dixerim) partes minutius de-  
truncanda. Cur vos non revocant ad viam veritatis & lucis, ca-  
ci, scelesti, immites & incompoti, tam salubria Scripturarum  
documenta? Qui sævientem audivimus, audiamus etiam  
definientem, & anathemata vibrantem. Eligant quæ vo-  
lunt, vitam aut mortem, benedictionem aut maledictionem.  
Optamus namq; & infinitam boni pastoris Domini precamur be-  
nignitatis clementiam, qui ovem perditam ad ovile propriis hu-  
meris reportavit, ut relictis erroris anfractibus — ad viam, quæ  
ducit ad vitam æternam, fidei passibus Christo redeant pertra-

Phil. 2, 11





hente. — Quòd si, exigentibus indignis meritis, tam insolubili  
eos malignus spiritus perfidia laqueo iusto Dei iudicio strangula-  
uit, ut resolut nequeant; ex auctoritate prorsus sedis Apostolicae  
ac beati Petri Apostolorum principis, & per eam quam illi Magi-  
ster & Dominus tradidit potestatem, & soluendi ligandiq; licen-  
tiam tribuit, quod sine graui mærore non possumus dicere, perpe-  
tuo eos anathematis vinculo religatos, ultrici cum sequacibus suis  
iudicamus vindictâ plectendos, ac per hoc & à gremio matris Ec-  
clesiae & à nostro consortio definitio alienos. Hic habemus sen-  
tentiam Romani pontificis, definitis ex auctoritate  
sedis Apostolicae, communione fidelium excludendos  
esse & æternâ salute excidere omnes, qui affirmant Chri-  
stum secundum carnem siue humanitatem aut Dei ser-  
uum esse, aut filium adoptiuum. De seruo quod attinet,  
remotâ seruitute legali & pœnali, qualem Christo num-  
quam tribuit Elipandus, adsertionem illam damnare,  
nihil aliud est, quàm hominem innocentem, imò ipsum  
Dei spiritum anathemate percellere. En specimen *αιναμαρτη-  
ριας* Pontificiæ! De filio adoptivo postea videbimus.

Paulini libellus sacrosyllabus, nomine synodi con-  
fectus, pari sæuitiâ sed nihilo melioribus utitur argu-  
mentis, quam Hadrianus. Quod, nisi prolixum nimis  
tædioque obnoxium esset, facile foret ostendere. Initi-  
um, illustrandæ historiæ ergo, in gratiam eorum, qui-  
bus hæc alibi legere non est in procliui, apponimus. *San-  
cto inoitante spiritu, ac zelo fidei catholica scintillatim subfer-  
uescente clementissimi & tranquillissimi gloriosiq; Caroli regis do-  
mini terra, imperij eius decreto per diversos provincias regni e-  
ius ditioni subiectas summâ celeritate præcurrente, multitudo an-  
xistitum sacris obtemperando præceptis in vno collegio adgregata  
conuenit. Quadam die residentibus cunctis in aulâ sacri palatii,  
adistentibus in modum cœrona presbyteris, diaconibus, cunctoq;  
clero*



clero sub presentia predicti principis, allata est epistola missa ab Elipando auctore enormis negocii, Toletana sedis antistite, Hispaniensis finitima ruri. Quumq; iubente rege publica voce recitata fuisset, statim surgens venerabilis princeps de sella regia stetit supra gradum suum, ac loquutus est de causa fidei prolixo sermone, & adiecit, Quid vobis videtur? Ab anno prorsus praterito, & ex quo coepit, huius pestis insania tumescente, perfidia ulcus diffusius ebullisse, non paruum in his regionibus, licet in extremis finibus regni nostri, error inoleuit, quem censuram fidei necesse est modis omnibus resecare. Quumq; imprecata & concessa esset morosa dilatio per dies aliquot, placuit eius mansuetudini, ut unusquisq; quidquid ingenij captu rectius sentire potuisset, per sacras syllabas die statuto eius clementia oblatum sui cor pectoris, fidei munus styli ferculo, mentis viuacitate deferret. Condemnationes iis non dissimiles, quales Hadrianum promulgasse paullo antea audiuius. Elipandum & Felicem novos hostes Ecclesie, sed veteranos a face perfidia pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectam fidei satisfactionem lamentis se abluant paenitentia, indignos & ingratos eos a consortio Catholicorum perpetua animaduersione eliminare decernimus, & a gremio orthodoxa Ecclesie censemus alienos. — Eos etiam, qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus, sancto afflata spiritu, concorditer subtili sinceritate terminauit, falsissimis eorum adsertionibus siue clam, siue publica voce prebuerint ad sensum, simili eos sententia vindicta sanctimus esse plectendos, reseruato per omnia iuris priuilegio summi pontificis, domini & patris nostri Hadriani prima sedis beatissimi Papa, nempe ut ejus etiam ad sensus, tamquam patriarchae occidentis, requiratur.

Synodus epistolam Praesulibus Hispaniae inscriptam sub initium itidem praedicat precipiente & presidente piissimo & gloriosissimo rege Carolo se coisse. Inter caetera, ajunt,





qua pro fidei firmitate tractavimus, domini regis nostri præcipuâ  
pietate & laudabili sapientiâ adsidente & auxiliante nobis, præ-  
cepit subito gloriosa illius excellentia fidei vestra libellum adferri  
in medium. Qui quum à notario nobis diligentius attendenti-  
bus, sub distinctione sententiarum & proprietate sensuum lege-  
retur ad finem, audivimus in eo novas quasdam adsertiones exa-  
ratas, non tam antiquis sanctorum doctorum traditionibus conve-  
nientes, quàm vestris nuper inventionibus utcumq; confirmatas.  
Respondent autem ad veterum nonnullorum Patrum  
dicta ab Elipando adlata, & opponunt alia, pleraque Ce-  
rinthum, Arium, Nestorium ferientia, aut aliàs ad rem  
parum facientia. Mitiùs tamen agunt, quàm Hadria-  
nus aut Paulinus, nec execrationibus & verbis adeo di-  
ris. Unum nihilominus noto satis acerbum. Scripse-  
rat Elipandus: *Prædecessores nostri, Eugenius, Hildefonsus,  
Julianus, Toletane sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixe-  
runt in Missâ de cæna Domini: Qui per adoptivi hominis passi-  
onem, dum suo non indulget corpori. Item in Missâ de ascensione  
Domini: Hodie Salvator noster post adoptionem carnis, sedem  
repetivit deitatis; & cætera, quæ ex parentum, ajunt, vestro-  
rum dictis posuistis; ut manifestum sit, quales habeatis parentes;  
& ut notum sit omnibus, unde vos traditi sitis in manus infideli-  
um, Maurorum scilicet Muhammedanorum. Quia homi-  
nem Christum verum Dei patris filium esse negastis, vobis defen-  
sor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum, ut  
dominentur vestri, qui eum recipere noluerunt; & cui illi publicè  
detrahunt, vos occultè illi derogetis.* Ecce quàm proclivia  
hominum ingenia torquere eventus ad præconceptas  
causas, & fallaciam *ὅσα τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον* committe-  
re. Hispaniæ calamitatem & jugum à Mauris injectum  
opinionem, quòd Christus secundum humanitatem sit  
Dei filius adoptivus, imputant. Existimant etiam, Mau-  
ris &



ris & Muhammedanis improbable visum iri, Christum  
Dei servum vel filium adoptivum esse, & propter hanc  
doctrinam à religione Christiana alienus fore: quum  
certum sit illos, si de Christo nihil sublimius doceatur,  
non magnopere refragaturos. Loquuntur autem in  
hunc modum: *Intelligite in hac professione vestra duplices  
diabolicae fraudis latuisse dolos, hoc est, ut vos qui gratia baptis-  
mi redempti estis, ab unitate catholica disungeret ecclesia, &  
schismatici erroris laqueo à viâ salutis aeterna retraheret, & gen-  
tibus, inter quas habitatis, Christiana fidei initia intercluderet,  
dum & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus  
& adoramus, servum predicatis & adoptivum. Hac sunt enim  
argumenta diaboli, & ut vos subvertat in fide, & illos avertat à  
fide. Quiescite, viri fratres, quiescite ab hac nequitia: & esto-  
te vobismetipsis doctores ad vitam, & vicinis vestris ductores ad  
fidem. Considerate quale est hoc scandalum inter paganas gen-  
tes, ut dicatur, Deum Christianorum servum esse vel adoptivum.  
Quasi Christus, qui non saltem Dei servus & filius ado-  
ptivus praedicatur, sed etiam crucifixus, Iudæis scanda-  
lum non sit, & Græcis stultitia? Et qui non etiam Mauris, <sup>1 Cor. 1. 13.</sup>  
& Saracenis?*

Quin & Carolus rex (ut id quoque obiter annota-  
mus) etiam si fraterno vulneratus amore servitutem & op-  
pressionem, quam patiebantur Hispani, lacrymabili gemitu  
condoleat; propter sententiam tamen Elipandinam indi-  
gnos judicat, quibus subsidium ferat, ut à Mauris & ju-  
go Muhammedano liberentur. *Haecenus, inquit, ante-  
quam huius adoptionis in Christo nomen à vobis exortum nostros  
non offenderet animos, vos germanitatis amore dileximus; & se-  
nos vestrum corporale servitium contristaret, rectitudo tamen  
fidei catholica letificavit. Nunc verò duplici pro vobis afficimur  
mærore, diabolica fraude deceptis in corde, & inimica servitute  
oppressis*



oppressis in corpore. — Antè igitur quàm huius saepe dicti scan-  
dali à vobis oriretur offensio, duplici caritate (sicut prædiximus) *us*)  
dileximus vos, id est, in orationibus nostris per omnes regni no-  
stri ecclesias habuimus socios, & vestri memoriam quotidie fa-  
centes: itidem quoque & Deo auxiliante, voluntatem habuimus vos  
liberare à servitio secularis necessitatis, secundum temporis oppor-  
tunitatem & vestri consilij adhortationem: nunc verò hac du-  
plici caritate (quod sine dolore non dicimus) fraudastis vosmet-  
ipsos, non intelligentes, fraude diabolicâ esse deceptos, ut utroque  
iuvamine vos denudaret, id est, participatione fidei & orationum  
nostrarum, vel solatio auxiliij nostri. Videte, videte quàm gran-  
de malum adversus vosmetipsos habetis factum, quòd nequaquam  
ausi sumus orare pro vobis, sicut pro fidelibus sanctæ Dei ecclesie  
filijs, nec vos adiuvere, quomodo fratres, in vestris maximis ne-  
cessitatibus. Tantum valuit, & tantum potuit suadere ma-  
lorum, neglectus discriminis inter articulum fundamenta-  
lem & quæstionem annatam.

Ex hisce quatuor scriptis, è quibus summam &  
præcipua capita hætenus excerpimus, quid in Franco-  
furtano concilio actum fuerit, satis innotuit. Mirum  
videri queat, nullam in eo *nuncupativi Dei* mentionem fi-  
eri. Fortè hac loquutione, quâ Felix aliquando usus,  
Elipandus ac alij abstinebant. Meminit tamen Alcu-  
nus in libris de Trinitate, quos Carolo, tum Imperato-  
**Prologo.** ri, tempore celeberrimi conventus, quo sacerdotes Dei & populi  
predicatores Christiani in unum Imperiali præcepto convene-  
rant, obtulit. Quando is habitus conventus, ignoro.  
**Lib. 3, c. 9.** Cæterùm verba Alcuini ista sunt: Dei Filius non solum se-  
cundum veram divinitatem, quam habet de naturâ Dei Patris,  
sed etiam carnem, quam veram naturaliter de corpore beatæ ge-  
netricis assumpsit, Deus verus & creditur & prædicatur ab om-  
nibus catholicis: quoniam eterna divinitas Filij cum plenâ huma-  
nitate



nitate suâ, & eadem plena humanitas Filij cum eternâ divinitate  
suâ, una est in sanctâ Trinitate persona: & hac non adoptiva, sed  
propria & perfecta: & ipse totus in divinitate ac humanitate  
suâ unigenitus & verus Filius Dei. Ideo cum Patre & Spiritu  
sancto unus est Deus, non nuncupativus, sicut Hispanica heresis  
impiâ temeritate affirmare presumpsit, asserens Dei Filium in di-  
vinâ naturâ Deum esse verum, & in humanâ nuncupativum; si-  
militer & in divinâ naturâ proprium Filium Dei, & humanâ ad-  
optivum; dividens unam personam Filij Dei cum Nestorio in  
duas personas, id est, veri filij & adoptivi: quum certissimum  
constet, in illam personam, quam habuit eternaliter de Patre ge-  
nitus, Dei Filium humanam assumpsisse naturam: quam perso-  
nam nemo catholicus fide confirmatus adoptivam esse ausus est  
dicere. Prima Alcuini, quæ recitavimus, verba malè so-  
nant: certè perincommoda sunt. Pridem autem monu-  
imus de promiscuo & confuso eâ ætate vocabulorum con-  
cretorum & abstractorum usu. Existimo itaque, nihil  
aliud Alcuinum velle, quàm verè credi & dici, non so-  
lùm, quòd Christus Dei filius & Deus sit verus Deus, sed  
etiam, quòd idem Christus hominis filius & homo sit  
verus Deus. Id enim arguunt reliqua verba, quæ se-  
quuntur; & imprimis illa, quæ recitatis proximè subijci-  
untur: *Deus Dei filius humanam adsumpsit naturam, non perso-  
nam. Aeternâ suscipiente personâ divinitatis temporalem hu-  
manitatis substantiam homo transivit in Deum, non vertibilitate  
nature, sed propter divina unitatem personæ. Ideo non sunt  
duo Christi, nec duo filij, sed unus Christus, & unus Filius Dei,  
Deus & homo.* Valafridus etiam Strabo, qui sub Ludo-  
vico Pio Caroli filio de rebus ecclesiasticis scripsit, *Felicis* Cap. 17.  
*heretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati,*  
meminit.

Quanta fuerit Caroli in cogendis & regendis con-  
E ciliis



ciliis auctoritas, quanta etiam industria, neminem ea  
quæ produximus, patiuntur ignorare. Illam è manibus  
non dimittere, nec alteri cuiquam transcribere; istam  
pari zelo ad Dei gloriam & procurandam Ecclesiæ tran-  
quillitatem imitari oportet Imperatorem & Reges Chri-  
stianos, qui hodie eo loco sunt, quo olim fuit Carolus,  
si dignitati & muneri adeo sublimi, ad quod divinitus  
sunt euecti, satis velint facere. Haut equidem voto &  
desiderio respondit successus, nec feliciter decisam esse  
controversiam quisquam temere affirmaverit. Unde  
discimus, nec magnæ parti ecclesiæ, nec magnæ syno-  
do, quanta sanè fuit, quæ contra Elipandum stetit, nec  
Romano episcopo ullam in hisce talibus definiendis  
competere infallibilitatem, quæ ne quidem universali  
ecclesiæ per universale concilium maximè perfectum  
representatæ poterit tribui, quum eiusmodi quæstio-  
nes quemadmodum sine detrimento salutis ignorari,  
ita etiam sicut hætenus, sic quoque porro relinqui pos-  
sint indecisæ. Non enim omnium talium certam scien-  
tiam Deus requirit, nec ad eam consequendam media si-  
ve adminicula à periculo hallucinandi immunia promi-  
sit aut paravit. Erratur itaque magnopere, quando à  
fundamento salutis quæstiones annasci solitæ, longius-  
que remotæ non discernuntur, & propter diversas de eis  
opinionum anathemata vibrantur, & caritas ac commu-  
nio Christiana dissolvuntur. Sed id recens in ecclesiâ  
malum non esse, hoc ipso exemplo docemur. Et ne id  
quidem, diversa sentientibus non saltem hæreseos no-  
tam impingi, sed quæ numquam in mentem venerint,  
affingi.

Erant autem duæ Elipandi theses, una, *Christus se-  
cundum carnem est Dei servus*; altera, *Christus secundum car-  
nem*



*nem est Dei filius non naturalis, sed adoptivus.* Vtramque anathemate feriit Hadrianus pontifex, & priorem quidem errore adeo manifesto, iplisque perspicuis Scripturis ita evidenter contrario, ut jam Romano pontifici defini-  
enti & anathemata ejaculanti nullum non-errandi pri-  
vilegium collatum esse nemo possit dubitare. Posteri-  
or abstrusior videtur & difficilior; estque tota fori scho-  
lastici. Obijcit quidem Hadrianus, *Christus nullibi in Scri-  
pturâ dicitur secundum humanitatem filius adoptivus.* Sed et-  
iam nullibi dicitur secundum humanitatem filius natu-  
ralis. Neque prisca Patres verbotenus vel hunc vel illum  
loquendi modum usurparunt. Quin, uti monuimus,  
de hac quæstione solliciti non fuerunt. Considerandum  
itaque, quid rei, quam nos Scriptura docet, ex se sua-  
que naturâ expensæ sit consentaneû. nam alioquin Chri-  
stum ne quidem secundum divinitatem filium natura-  
lem appellare licuerit. Clamabatur passim, thesin eam  
Nestorianam esse. Sed quæro, num prout in terminis  
suis jacet & sonat, nempe *Christus secundum divinitatem  
est Dei filius naturalis, secundum humanitatem non naturalis,  
sed adoptivus,* Nestoriana sit: an verò per consequentiam  
demum ex eâ Nestorianismus, id est, divisio vnius Chri-  
sti filijque in duos, eliciatur? Prius nemo sanus & Ne-  
storianismi gnarus affirmaverit. Si dicatur posterius, o-  
stendi velim, periculum fieri & consequentiam necti:  
apparebit contortam esse, imbecillem, imò nullam; nec  
ad thesin eam positam magis consequi Nestorianismum,  
quàm Arianismum vel Ebionismum, cujus tamen ipsa  
quoque ab Hadriano arguitur.

Vt autem in quæstione scholasticâ enodandâ scho-  
lasticè agatur, & ambiguitas excludatur, si enunciatio  
ad hunc modum formetur, *Christus, quatenus homo, est fi-*

E 2

lius





lius Dei naturalis; dico, si determinatio subje<sup>cti</sup>, quatenus homo, specificativè accipiatur, totam illam propter *ἡνωίαν ἰδιωμάτων* admitti, hoc videlicet sensu, *Christus qui homo est, idem filius Dei naturalis est*. At si capiatur reduplicativè, ut sensus sit, *Christus per & propter humanam suam naturam, sive ratione sua humanitatis est filius Dei naturalis*; tum admitti non posse, nisi vox *naturalis* à propriâ & primariâ significatione recedat, & denotet non eum, qui ex naturâ genitus, & secundum naturam similis sit, sed simpliciter eum, qui ita ortus & natus, ut sensus sit, *Christus secundum humanitatem suam filius Dei natus est, & non demum post incarnationem aut natiuitatem factus*. Hujusmodi ambiguitates removeere oportet, ne in salebris earum hæreamus.

Nunc expendamus, quid sit de propriâ & intrinsicâ ratione filij naturalis. Naturalem filium oportet genitum esse ex naturâ & substantiâ patris, & proinde eandem cum patre naturam habere, sive secundum naturam & substantiam patri similem esse. Et hoc tantum sensu naturalem filium nunc accipimus. Secundum quam naturam itaque Christus nec genitus est ex substantiâ Dei Patris, nec Deo Patri similis, juxta eam non est filius naturalis. Sed Christus secundum humanam naturam non est &c. Cui argumento nescio annon succumbat Vazquez, qui hanc controversiam accuratiùs & operosiùs, quàm quisquam alius, tractavit, & definitionem Hadriani vindicare conatus est. *Si filius, inquit, PROPRIE accipiatur pro eo, qui procedit per veram & naturalem generationem, quæ dicatur origo viventis à vivente in similitudinem nature, non potest dici filius naturalis Patris Christus secundum humanam naturam, quia secundum illam ab ipso non procedit eo modo. Quod argumentum sumitur à definitione ad*  
*defini-*

In 3. disp.  
89. cap. 14.



definitum, Id quod in hunc modum confirmatur. Ratio filij PRO-  
PRIE accepti, & ratio geniti eadem est. Nempe filiatio super  
generatione fundatur. Qualis itaque generatio, talis  
quoque filiatio: & cui non competit naturalis generatio,  
sive ex Patris naturâ genitum esse, ei quoq; naturalis  
filiatio non conuenit. Idem Vazquez: *Quum dicimus, Cap. 4.*  
*Christus est filius adoptivus secundum humanitatem, denotamus*  
*ita secundum humanitatem illi conuenire adoptionem filij, ut se-*  
*cundum illam non conueniat filiatio naturalis. Hoc autem quis*  
*negabit?* Si hoc nemo negat, quid reliquum est dissidij?  
Et sanè si Christus est naturalis filius secundum humani-  
tatem, tum ita est filius secundum humanitatem, vti se-  
cundum diuinitatem. Ita igitur erit generatus secun-  
dum humanitatem, sicut generatus est secundum diui-  
nitatem. Quo tamen nihil absurdus. Ergo evidenter  
efficitur, non ita esse filium iuxta humanitatem, sicut est  
iuxta diuinitatem. At iuxta diuinitatem est filius natu-  
ralis. Iuxta humanitatem igitur non est filius naturalis:  
& proinde si filius, qui non est naturalis, sit adoptivus,  
erit adoptivus. Sin quem propriè naturalem non esse  
concedis, adoptivum negas, medium quoddam genus  
filiorum statuendum erit, quod difficulter inueniri po-  
terit; aut non nisi de vocabulo lis relinquatur, quum  
videlicet iuxta communem hominum conceptum qui  
est filius, & tamen non propriè naturalis, adoptivus ha-  
beri soleat. Propriè igitur is est filius naturalis, qui na-  
turam ex substantiâ patris mediante productione gene-  
rationis accepit. Si sit alius impropiè & citra talem  
productionem naturalis, erit non nisi posteriore illo  
sensu, quem paullò ante expositum dedimus, naturalis,  
nempe quòd sit natus filius. Ita, ait Vazquez, Christus  
iuxta humanitatem est filius, non per generationem, sed



per hypostaticam vnionem. At hæc nihil facit ad productionem, super quâ solâ fundatur naturalis filiatio, sed facit humanitatem sustentari hypostaticè à personâ Filij, eique ita uniri, ut qui nascitur nascatur filius, & non demum post natiuitatem in filium adsciscatur. Quo sensu etiam secundum humanitatem filium naturalem esse extra controuersiam est. Sed hoc non est nisi impropriè naturalem esse, & proinde adoptionem non perimit.

Sicut manifestum est, quæ sunt de intrinsecâ ratione filiationis naturalis propriè sic dictæ non cadere in humanitatem Christi respectu Dei Patris; ita econtra constat quadrare, certè non pugnare, quæ adoptioni intrinseca sunt & propria; de quibus sub initium pridem aliquid diximus. Nempe per adoptionem ex gratiâ & beneuolentiâ admittitur ad jus filij & capeffendam hæreditatem, qui aliàs ex se & juxta generationem suam æstimatus tamquam extraneus jus in hereditate nullum habet. Tria hîc concurrunt, i extraneum esse secundum productionem generationis suæ, ii gratuitò & ex beneuolentiâ iii participem reddi hereditatis. Quorum nihil ab humanitate Christi alienum est.

9. quæst. 13.  
art. 4.

Thomas Aquinas hîc se obijcit, & non quidem argumenta, quæ proposita modò fuere, soluit, sed quoddam pro adversâ opinione format. *Filiatio, inquit, propriè conuenit hypostasi vel personæ, non autem naturæ. In Christo autem non est alia persona vel hypostasis quàm increata, cui conuenit filium esse per naturam. Dîctum est autem, quòd filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Nò autè recipitur dici aliquid participatiuè, quod per se dicitur. Et ideo Christus, qui est filius Dei naturalis, nullo modo potest dici adoptiuus. Foret argumentum: Vbi est vna persona, ibi vna*



una filiatio; & ubi increata persona, ibi non nisi increata  
filiatio. Sed in Christo &c. Cæterum Major negari de-  
bet, sicuti eam etiam negant Scotus & Scotista. Vbi <sup>3, dist. 10.</sup>  
una persona & una natura, ibi quoque unius parentis  
respectu una filiatio. At si in unâ personâ duæ sint natu-  
ræ, nihil impedit duas quoque esse filiationes, nam filia-  
tio consequitur naturam & generationem naturæ pro-  
ximius & immediatius, quàm personam. Nempe per-  
sona est subjectum vel principium Q V O D; natura,  
Q V O. Persona est is, qui filius: nec persona præcisè  
sumta ut persona facit esse filium, alioquin quævis per-  
sona filius esset; sed natura, per generationem accepta  
facit personam esse filium. Et filiatio quidem denomi-  
nat suppositum: sed propterea duplex filiatio non exi-  
git duplex suppositum: neque enim multiplicatis for-  
mis vel abstractis, necesse est multiplicari supposita &  
concreta. Ita non sequitur, Sunt duæ scientiæ; ergo  
sunt duo scientes: Sunt duæ voluntates; ergo sunt duo  
volentes. Quòd si propter unitatem suppositi Christum  
secundum humanitatem dici oportet filium Dei natu-  
ralem; quidni propter eandem secundum divinitatem  
dici oporteat filium Mariæ naturalem? Quod tamen  
extremè absurdum. Quin ne quidem legibus positivis  
civilibus, quæ tamen facultatem adoptandi non modi-  
cè restringunt, & intra certos limites coërcent, adverfa-  
tur, in unam personam jura patria naturalia & adoptio-  
nis concurrere. Nam si pater naturalis avo filij sui materno  
filium suum dederit in adoptionem; in hoc casu, quia concurrunt  
in unam personam & naturalia & adoptionis jura, manet stabile  
jus patris adoptivi, & naturali vinculo copularum, & legitimo  
adoptionis modo constrictum. Ita enim habent verba Institu-  
tionum & Constitutionum Justinianæarum. Sed ea nos  
missa

Instit. de  
adopt. &  
l. penult.  
Cod. eod.



missa facimus, & dicimus potiùs : Vbi duæ naturæ, & duæ generationes, ibi duæ quoque filiationes; & ibi utraque tum natura, tum generatio, tum filiatio denominat personam, & persona tamen non multiplicatur. Sicut itaque filiatio æterna respectu divinitatis & Patris, & filiatio temporalis respectu humanitatis & matris, quæ sunt duæ diversæ filiationes, non pugnant, nec personam multiplicant; ita neque filiatio naturalis, & filiatio adoptiva. Quin filiatio humana, & sic etiam adoptiva, proximè inhæret humanitati, & denominat suppositum: sicut etiam affectus humani, ut tristitia, gaudium, inhærent humanitati, & suppositum, quod est Christus, denominant. Hallucinatur enim Gabriel Biel, qui humanitatem admittit adoptatam esse, Christum tamen secundum eandem humanitatem adoptivum filium dicere detrectat. Cum quo Almainum & Majorem sentire testatur Vazquez. Quod enim alterutri naturæ competit, personam denominat, & de personâ prædicari potest.

In 3. disp.  
80, cap. 4.

Art. 4, 5, 6,  
90.

Videmus Scholasticos doctores *magnos & ingeniosos homines*, uti eos appellat Apologia Augustanæ confessionis, hîc in suo foro versantes non convenire, sed in diversas ire sententias. Quod ipsum quæstionis difficultatibus implicitæ est indicium. Dissidentibus autem non irascuntur, condemnationibus abstinent, placidè agunt, & argumentis, non conviciis. Quod in iis meritò laudandum, & omnibus imitandum: sicut econtra reprehendenda & fugienda libido movendi quæstiones curiosas, ociosas, sæpe ineptas, sæpe indecoras, plerumque inextricabiles. Quid Magister, Alensis & Bonaventura senserint, sub initium attigimus. Albertus ad eum modum explicat, ut res redeat ad communicationem



tionem idiomatum. *Christus homo, inquit, habuit divinam naturam per gratiam non adoptionis, sed unionis in esse hypostasios & persona, quæ per naturam filius est: & ideo filiatio naturalis quasi transit ad hunc hominem, quæ per se est in filio Dei: transit autem per unionem factam in hypostasi.* Rursus: *Hic homo Christus, in quantum hic homo (ita quod li In quantum, dicitur unionem) habet, quod est filius naturæ: & tamen hic homo in quantum homo non est genitus de Patre.* Et hoc est, quod dicit Augustinus, quod hic homo habet hoc per gratiam: sed hæc gratia non est habitus animæ, ut gratia adoptionis; sed potius est unio ad esse unum cum personâ, quæ naturaliter habet filiationem Dei Patris. Hæc videlicet unio efficit, ut per *νοῦν ὡς ἰδιωπάτω* hic homo fit filius Dei naturalis: imò etiam ut secundum ipsam humanam naturam nascatur filius, & non demum postea fiat.

Thomam sequuntur sui, fundamentum locantem in hoc, quod filiatio personæ competat, non naturæ. Sed id ipsum infirmum esse, satis ostensum: nec dissimulant, qui hic à Thoma diversum sensere, inter alios Durandus, & præ aliis Scotus cum iuis, inter quos Iohannes Bassolius & Petrus Tataretus acerrimi. Richardus adductis utriusque partis rationibus, & rationum solutionibus, rem quasi in medio relinquit. Dissentiunt etiam à Thoma aliquo modo, ut paullò antè diximus, Almainus, Major & Biel. Scoti ipsius nonnulla verba, & quidem è Reportatis, apponemus. *Sancti veteres aliqui doctores negarunt Christum esse filium adoptivum, propter hæreticos, qui solum dixerunt eum filium adoptivum, & nullo modo naturalem: & ideo cum illis noluerunt sancti communicare propter malum intellectum.* — De virtute tamen vocis potest Christus dici filius adoptivus Dei, sicut unus alius homo, quia prius naturæ habuit naturam, quàm ordinatur ad hereditatem: & sic

F

fuit



fuit sufficienter extraneus. Vel dico, quòd pro tanto dicunt sancti, quòd Christus non est filius adoptivus Dei (si debeat sustineri de virtute vocis) quia illum, qui debet esse filius adoptivus alicuius, oportet sic generari, quòd sua generatio non requirat concomitantem de congruo, ut habeat ius hereditandi. — Sed generatio Christi hominis naturaliter requirit, eum concomitantem habere ius hereditandi, quia hoc requirit unio personalis de congruo. Hæc ibi Scotus.

Nec abs re videtur adijcere, quæ argumento Thomæ opponit Petrus Aureolus. Quod is in hunc modum concipit: *Adoptio non debetur nisi personæ extraneæ ab hereditate. Sed persona, quæ est in Christo, non est extraneæ ab hereditate, nec etiam filiatione. Ergo. Igitur Christus est filius naturalis, non adoptivus ullo modo. Respondet, ista ratio concluderet, si filiatio esset immediata conditio suppositi, & formaliter. Sed hoc non est, quia solum est conditio suppositi ut Quod, non ut Quo: quia filiatio temporalis non fundatur immediate super personam Verbi, sed super humanitatem. Ergo videtur, quòd Verbum potest esse filius adoptivus ut Quod, sed per humanitatem ut Quo: sicut supposito Verbi attribuitur filiatio temporalis ut Quod; sed per naturam humanam ut Quo formaliter est filius temporalis beatae Virginis. Non ergo videtur minus inconveniens sequi, si ponatur filiatio adoptiva, vel adoptio in Christo, quàm si ponatur filiatio temporalis ex Virgine: & tamen hoc conceditur ab omnibus. Item, si humana natura dat Verbo, quòd sit filius beatae Virginis, non video quare non dat, quòd sit filius adoptivus. Non vult tamen uti hac loquutione, quia esset sensus vel motivum pravi intellectus, scilicet quòd non est filius naturalis. Verùm enim verò, si proferatur cum determinatione, & dicatur, Christus quatenus homo, vel secundum humanitatem est filius Dei adoptivus; cessat periculum. Qui dicit Christus est homo, non negat Deum esse:*



esse: ita quoque qui simpliciter dixerit, *Christus est filius adoptivus*, non propterea negaverit naturalem esse, quum adoptio hic non excludat quemlibet titulum naturalis filiationis secundum aliam naturam, sed saltem secundum eam, cui convenit adoptio. Videri tamen possit simplex ille loquendi modus filiationem naturalem simpliciter & ex quocumque alio titulo excludere: sed cum determinatione sive restrictione, *secundum quod homo, juxta humanitatem*, ne videri quidem potest alio intuitu, quam humanitatis, excludere. Id etiam addo, Iohannem Capreolum, qui Thomam, decurso fere post ejus obitum sesquiseculo, ab objectionibus Scoti, Durandi, Aureoli, aliorum, quantum potuit, vindicavit, totam quaestionem intactam praeterire, atque adeo Thomam suum indefensum hic relinquere.

Ex hisce, quae hactenus producta sunt, satis, ut opinor, manifestum, quaestionem esse difficilem, e qua ne quidem ingeniosissimi & in eiusmodi disputationibus exercitatissimi sese potuerint plenè expedire. Perperam igitur Hadrianus sub anathemate definiuit rem, quae captum plerorumque hominum superaret, & ad salutem cognitu necessaria non esset. Rectius fuisset, ad animi stylique moderationem, & ad quaestionem difficilem ambiguamque sive in medio relinquendam, sive planè sepeliendam, cohortari; aut etiam partibus cum scandalo ecclesiae litigantibus, si tanta esset auctoritas, silentium imperare. Id autem observatu dignum, Pontificem cum damnationum & anathematum strepitu contra eos, quorum sententia probabilior, pronunciasse. Dico probabiliorem sententiam eorum, qui docuerunt Christum secundum carnem non esse filium Dei naturalem, sed adoptivum: imò ausim dicere veram;





In 3, disp.  
89, cap. 10  
& 12,

Cap. 13.

quamvis eâ super re cum nemine ferram contentions  
velim recipere. Hoc autem ideo dico, quia video  
argumenta contra illam sententiam invalida esse, & à  
dissentientibus solvi; quæ verò pro illâ militant, præci-  
puè quæ à naturâ & intrinsecâ ratione filiationis & ado-  
ptionis ducuntur, nec soluta esse, nec solvi posse. Quin  
Vazquez, strenuus Hadriani *Interrogatoris*, fatetur Scriptu-  
ræ dicta rem non conficere; & argumenta pro illâ à  
Scholasticis hæctenus adlata ipse dissolvit. Thomæ qui-  
dem rationem dicit *ceteris omnibus multum præstare*, sed  
*difficultate non carere*.

Ipse tandem adfert, ut videri vult, *optimam & potissi-  
mam*, quâ etiam ejus iudicio usi fuerint Hadrianus & Pa-  
tres concilij Francofurtani. Hæc, inquit, *non modo de-  
monstrat, non esse dicendum absolutè Christum filium adoptivum,  
verùm etiam nec cum additione, SECVNDVM QVOD  
HOMO: imò humanitatem eius non fuisse ullo modo adoptatam.*  
Audiamus igitur & expendamus. *Est autem huiusmodi.*  
*Ille qui nullo prorsus modo sibi coniunctus, sicut sibi coniunctus naturam, sed solo affe-  
ctu coniungitur adoptanti: id namq; ipsa vox Adoptio significa-  
re videtur, est enim desiderantis: quare adoptare aliquem in fili-  
um, nihil aliud est, quàm desiderio & voluntate loco filij natura-  
lis aliquem sibi subrogare: & perinde est sibi adoptare filium,  
atq; desiderare sibi habere pro filio eum, qui alioqui secundum na-  
turam sibi coniunctus non est. Sed humanitas Christi non fuit  
coniuncta Deo solo affectu, verum re ipsa. Ergo per assumptionem  
non potuit adoptari: ac proinde Christus nec absolutè, nec secun-  
dum humanitatem esse potest filius Dei adoptivus. Respondeo  
ad Majorem. Quòd homo adoptans non potest nisi af-  
fectu sibi conjungere adoptatum, nec quem desiderat  
filium habere, arctiore sibi copulâ unire, imbecillitatis  
est humanæ. Adoptio itaque, pro ut ad divinam exten-  
ditur,*



ditur, intra hos cancellos coarctari non debet: neque  
quidquam impedit, quin Deus pro infinitâ suâ poten-  
tiâ, quem vult filium habere, arctius sibi jungat, quàm  
potest homo: qui si posset, etiam arctius jungeret. Quan-  
tum autem potest, præstat. Neque enim verum est, quòd  
solo affectu conjungat, quando quidem nomen, famili-  
am, jus genuinorum liberorum & succedendi in bona  
communicat. Est verò quasi à generatione humanâ ar-  
gumentum ducere ad divinam, in hunc modum: Ille  
qui generatus est, non habet eandem numero naturam  
cum eo, à quo generatus est, sed saltem eandem specie,  
& diversam numero. At Filius Dei habet naturam eam-  
dem numero cum Patre. Ergo. Nempe in humanâ ge-  
neratione non potest esse major idemtitas & adsimilatio  
inter generantem & generatum, quàm secundum speci-  
em: at in divinâ est longè excellentior, nempe secun-  
dum eandem numero essentiam. Perfectionis alioquin  
est generare sibi simile: & quo major adsimilatio, eò  
perfectior generatio. Sed hæc perfectio in humanis al-  
tius ascendere nequit, quàm ad adsimilationem natu-  
ræ eiusdem secundum speciem: in divinis pertingit ad  
idemtitatem naturæ eiusdem numero. Haut absimili-  
tatione homo pater adoptans non potest filium, quem  
adoptat, alio modo suum facere, vel cum filio, quem  
genuit, aliter jungere, quàm communicando idem no-  
men & jus in bonis & hereditate adeundâ: at Deus ita  
jungit, ut hypostasim utriusque eandem faciat, atque  
adeo unus & idem sit naturalis & adoptivus. Evanescit  
igitur alterum quoque argumentum, quod ex eodem  
ducit principio: *Ille qui adoptatur, ita est naturâ suâ extrane-  
us adoptanti, ut post adoptionem etiam reipsa maneat extra-  
neus, nec ullâ naturali coniunctione propinquus. Sed humanitas*





Christi, etiamsi suâ naturâ extranea sit, post assumptionem naturaliter mansit unita, hoc est, reipsa, & secundum veritatem. — Ergo non fuit adoptata. Nam sicut pars alicui substantialiter unita, dici non potest ab illo adoptata, cuius est pars, eodem pacto nec humanitas dici potest adoptata à Deo. Si homini ea esset facultas, ut ab extrinseco tertiam manum vel tertium pedem posset adsciscere, nonne esset illa manus vel pes adoptatus, etiamsi per adsumptionem substantialiter in eodem corpore cum nativis manibus & pedibus uniretur? At non esset adoptivus filius! Esset, inquam, adoptiva manus, adoptivus pes. In manum enim vel pedem non cadit, ut sit filius; quemadmodum in naturam ex se extraneam sed hypostaticè unitam competit, ut qui eam habet, secundum eam filius adoptivus appelletur. Haecenus itaq; non plus effecit Vazquez, quàm ante eum alij. Quin causam, quam defendendam suscepit, hoc ipso deserit, dum admittit Christum secundum carnem propriè naturalem filium dici non posse, ut jam antè ostendimus.

Tome 4.  
disp. 1, qu.  
23. pun-  
cto 1,

Sed & alij primarij Iesuitæ, quamvis supremo contactu Pontificiæ omnipotentiae & ἀναμειψίας tibicines, non parum vacillant. Gregorius de Valentia: *Si quæras, an Christus præcisè & immediatè secundum humanitatem sit naturalis vel adoptivus filius; dicendum est præcisè quidem secundum humanitatem, non consideratam ut in hypostasi, neutrum esse, quum filij appellatio non possit nisi ad hypostasin referri.* Ad hæc in promptu responsio ex superioribus. Filij ratio & appellatio ad personam refertur ut Quod, non ut Quo. Et quid est *humanitas non considerata ut in hypostasi?* num est humanitas in abstracto? Ita omnino. nam qui consideraret humanitatem ut separatam ab hypostasi, ille consideraret humanitatem, quæ numquam fuisset, nec vllibi



ullibi esset. At humanitas, quamvis in hypostasi subsistat, considerari nihilominus potest quatenus humanitas, id est, in abstracto. At secundum eam sic consideratam definiuit Hadrianus Christum esse filium naturalem, non adoptivum: minimè verò; neutrum esse.

Franciscus Suarez: *Si in illâ propositione, Christus in quantum homo, est filius adoptivus; particula IN QUANTVM sumatur propriè & specificativè, licet omnino verum sit Christum in quantum hominem non esse filium adoptivum: non tamen censeo illud esse de fide, sed ita certum, ut contrarium non sit admodum verisimile.* Adamus Tannerus hanc quidem ponit assertionem: *Christus etiam cum addito, IN QUANTVM HOMO, sive secundum humanitatem, nullo modo potest dici filius Dei adoptivus.* Et hanc: *Christus non solum simpliciter, sed etiam cum addito, IN QUANTVM HOMO, sive secundum humanitatem Verbo unitam, dicendus est filius Dei naturalis.* Sed hinc superaddit istam: *Hæ assertiones ita quidem certæ sunt, ut sine temeritate & manifesto erroris periculo negari non possint: at tamen ita apertè de fide non sunt, ut oppositum planè sit hæreticum.* Et in hanc sententiam adducit non modò Suarezium, sed etiam Cabreram, mihi non visum, cujus hæc profert verba: *His temporibus (nam apud illos cum temporibus mutant dogmata) adeo est certum, Christum ut hominem non esse filium Dei adoptivum, ut oppositum non tantum sit improbabile & falsum, sed plus quàm temerarium, & fere erroneum, vel hæreticum.* Addit Tannerus: *Declaratur assertio, ultima scilicet ista, & superaddita; non solum quia Scholastici quidam veteres olim sine noxâ docuerunt, Christum ut hominem esse filium Dei adoptivum; quibus nonnihil favent graves quidam Patres, sed etiam quia, tamen si constet hanc propositionem, Christus, in quantum homo, est filius Dei adoptivus, esse damnatam in Concilio Francofordiensi, & ab Hadriano Papa,*

Tomo 1. in  
3. disp. 42.  
sect. 2.

Tomo 4.  
disp. 1. q. 73.  
dub. 5.



*Papa, non tamen ita constat, quo sensu fuerit damnata: an videlicet simpliciter, & secundum omnem proprietatem verborum; an secundum certum tantum quendam sensum ab ipso Elipando intentum, esse videlicet pure filium adoptivum. Sed Elipandum numquam docuisse, Christum simpliciter & pure filium adoptivum esse: & Hadrianum hæreseos damnasse hanc thesin, Christus secundum carnem non est filius Dei naturalis, sed adoptivus; superius adducta neminem dubitare permittunt. Quantam itaque definitionis Pontificiæ rationem hic habeant ipsi Iesuitæ, ex his manifestum. Alios majorem habere vix est verisimile. Vazquez ingenue, Non paucis, ait, nostræ ætatis Scholasticis sententia utraque Elipandi, nempe de Christo secundum carnem tum servo, tum filio adoptivo, probatur. Iterum: Novi viros permultos in Theologiâ scholasticâ insignes, partes Durandi & aliorum tueri.*

In 3. disp.  
80. cap. 10.  
Disp. 89.  
cap. 6.

Vnum adhuc addo. Severinus Binius in Notis ad concilium Francofordiense adducit nonnulla ex Suarezio, & quidem ex disputationis XLIX in Tertiam sectione III. Equidem nunc ut editione Lugdunensi, in quâ nec ejus disputationis sectionem tertiam, quum duas saltem habeat, nec illa verba invenio. Ait Suarezium docere, quod definitio contra Felicianam hæresin (in concilio Francofordiensi absolutè spectato facta) habeat vim & auctoritatem stabilendi fidem certam, & obligandi fideles ad credendum, quando sufficienter promulgata & proposita est. Quia inquit, etiamsi non satis certò constat concilium hoc à Pontifice confirmatum esse, tamen certissimum est definitionem eius, definitioni Pontificis conformem, adeoque sufficientem fidei regulam esse, quâ sufficienter promulgatâ ac propositâ omnes fideles ad credendum id, quod in eâ proponitur, obligentur. Ego hisce subijcio, O miseram fidei regulam! ô miseros fideles, quorum fides ad ejusmodi regulam adstringitur!

Ma-



Magnum operæ precium fecisse nobis videbimur,  
si qui ista legerint, animaduertant rectius esse immen-  
sam Patris erga nos *φιλαδελφίας* & Filij caritatem agno-  
scere, & perpetuò deuotâ & gratâ mente prædicare,  
quòd ille Filium in carnem mittere, hic carnem volue-  
rit induere; quàm curiorè quærere, num Christus se-  
cundum carnem filius naturalis dici debeat an adopti-  
uus: & Deo longè acceptius fore, si idem sit in nobis Phil. 2, v.  
r & 3.  
affectus erga fratres, qui fuit in Christo Iesu erga nos,  
nec quidquam *per contentionem aut inane[m] gloriam* aga-  
mus, quàm si ambitiosè & superciliosè difficiles & sub-  
tiles quæstiones tractauerimus. Quoniam tamen vi-  
ris talium intelligentibus Ecclesia carere hodie non  
potest, quisque pro suâ virili in controuersiarum ortus  
ac progressus statumq; inquirat, & qui acrimoniâ men-  
tis pollent, & doctrinæ ad eam rem necessariæ copiâ in-  
structi sunt, ad minuenda, non augenda certamina  
operam conferant: qui verò per ingenij imbecillita-  
tem vel eruditionis inopiam quæ sunt hujus generis, ad-  
sequi nequeunt, ne attingant quidem, sed operibus pie-  
tatis & caritatis, quæ præstari oportet, sese occupent:  
cætera, quorum disquisitionem ab iis nemo exigit, &  
infeliciter tentaturi essent, missa faciant.

Quid à vobis studiosi iuuenes, tum publica tem-  
porum calamitas, tū sacra hujus festi solennitas exigat,  
nec ignoratis, nec, vt nostra quidem de vobis spes est,  
negligetis. Tantò autem majore diligentia & lubentia  
in his eritis, quantò magis à nobis probari intelligitis.  
Magnum est pietatis mysteriū, Deus conspicuus factus  
in carne. Quod nō solū priuatim animis vestris sedulò  
versabitis, & quæ huc faciunt Scripturæ oracula confi-  
derabitis; verū etiam publicè eorum interpretibus o-

G

peram





peram dabit; Deum in cœtu fidelium mente & voce  
laudabit; & æterno Patri pro misso in carnem Filio,  
pro reuelatâ veritate, pro conseruatâ hæctenus apud  
nos ecclesiâ, pro adsertis pietatis & sapientiæ studiis de-  
votissimas gratias agetis: orabitis porrò, & yota concii-  
pietis, vt calamitatibus, quibus tantùm non opprimi-  
mur, clementer velit mederi, & communem Germani-  
cæ reip. nauem è procelloso illo, quo nunc jactatur, pe-  
lago in portum deducere. Etiam *beneficentiæ & communi-  
cationis ne obliuiscimini: nam talibus victimis delectatur Deus.*  
Quàm verò petulantia & intemperantia vos dedecet,  
ætatemque vestram debilitat, tam procul vtramque  
habebitis. Valete. P.P. in acad. Iuliâ, pridie Natalis  
Dominici, anno æræ Christianæ  
c l o l o c x l i i i .

F I N I S .





















Fe 765



ULB Halle  
002 413 515 3

A standard 1D barcode is located on the library label, below the identification number.

TA-02

VD 77

42





Georgii Cal  
Via E  
S. Jm. Com  
latit. S  
v. d. m.







PROGRAMMA  
#  
an 76  
**FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI**  
IN ACADEMIA IVLIA  
ANNO MDCLXXXIII  
P. P.  
QVO CONTROVERSIA  
num Christus secundum carnem sit filius Dei  
naturalis vel adoptivus  
EXCVTITVR,  
ET ROMANVS PONTIFEX HADRIANVS PRIMVS MALE DEFINISSE CONVINCITVR.



HELMESTADI,  
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT  
HENNINGVS MULLERVS. 1998.2.26

